





1
6
226









GLORIA ACADEMIÆ ALTDORFINÆ

sive

ORATIONUM FASCICULUS

Vniversitatis Noricæ Ortum, Progressum & cuncta Memorabilia, omniumq; Professorum, qvi in qvatuor, uti vocant, Facultatibus, à primis eam ornârunt incunabulis, Vitas, Mortes ac Scripta, fideliter exhibens;

concinnatus operâ

MAGNI DANIELIS OMEISI,
Philos. M. & in eadem Acad. Ethices ac Eloqventiæ Prof. P.

Accesserunt

JOH. PAULI FELWINGERI LAUDATIO POSTHUMA,



nec non

Illustrantia superiores Orationes ADDITAMENTA, variæ INSCRIPTIONES, ac Personarum Rerumq; præcipuarum *Index.*

ALTDORFI,
Typis & sumtibus HENRICI MEYERI, Acad. Typographi.
Anno *M DC LXXXIII.*

II

GENEROSIS, MAGNIFICIS, MAXIME STRENVIS PRVDENTISSIMISQVE

VIRIS

DN. GABRIELI NÜTZELIO

ab & in Sinderspühl,

Inclytæ REIP. NORIMB. Triumviro, Eccles. Ephoro ac Proto-Scholarchæ &c.

DN. WILHELMO IM HOF,

DN. JOH. PAVLO PAVM-GARTNERO

ab Holenstein & Lohnerstadt, in Grünsperg,

DN. CAROLO WELSERO

à Neunhof,

Ejusdem Florentissimæ REIP. SENATORIBVS & SCHOLARCHIS

de VNIVERSITATE ALTDORFINA *summè per omnia meritis;*

nec non

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE

VIRO

DN. MAGNO FETZERO, Seniori,

DIVERSORVM S. R. I. STATVVM, ac præcipuè Laudatissimæ REIP. NORIMB. Consiliario Intimo & Primo, *Academiæq; Altdorfinæ* Procancellario de eadem longè pariter meritissimo;

DOMINIS AC PATRONIS obseqvio & observantia maximopere colendis,

MAGNVS DANIEL OMEIS

Vitam ac Felicitatem!

Voties Vrbem meam patriam, illuſtrem NORIMBERGAM, intueor, & oculos per ejusdem decora & ornamenta circumfero, incertum habeo, qvid primum in ea, qvid ſecundum, qvid poſtremum mirari debeam ac venerari. Jam enim qvando externam ejus faciem adſpecto, ſuccurrunt memoriæ verba *Æneæ Sylvii*, Cardinalis Senenſis (qvi Pontifex poſtea PIVS II dictus) ad Martinum Majorem JCtum ſcripta: *Dic, rogamus, qvænam facies hujus Vrbis, qvi ſplendor, qvæ amœnitas, qvæ deliciæ, qvæ majeſtas, qvi nitor platearum, qvæ domorum munditiæ? Qvid S. Sebaldi templo magnificentius, qvid ſplendidius Divi Laurentii delubro? Quid arce regia vel ſuperbius, vel munitius? Qvid foſſa, qvid mœnibus illuſtrius? Qvot ibi civium ædes invenias Regibus dignas? Cuperent profectò tam egregiè Scotorum Reges, qvàm mediocres Norimbergæ cives, habitare.* Qvodſi ad formam illius internam & Statum reſpicio, iterum mecum cogito ejusdem

dem verba Sylvii: *Qvæ forma regiminis? qvid in illa, qvod ad civitatem omni ex parte perfectam pertineat, desiderare qvispiam poterit?* Qvanta Inclyti SENATVS prudentia, legum reverentia, civium freqventia, negotiationum varietas, rerumq; omnium multitudo, &c, qvod caput rei est, concinnus ordo? Vt prorsus in *Vrbis* ac *Reip.* hujus magnitudine constituenda Natura & Labor, Virtus ac Fortuna videantur contendisse. Qvæ cuncta qvidem qvanqvam eximia planè sunt & admiranda, famamqve REIP. Florentissimæ domi forisq; differunt; inter maxima tamen & peculiaria ejus ornamenta illud meritò est numerandum, qvòd Illustris SENATVS NORIMB. statim post Ecclesiam superiore seculo salutariter reformatam, tetram pariter, qvæ rem omnem literariam miserè antea fœdaverat, barbariem è finibus suis propulsaverit, ejecerit, revocatas contrà ab exilio in Vrbem Musas benignissimo exceperit hospitio, ac præter *Scholas*, qvas triviales vocant, non tantùm celebre oppidò *Gymnasium* mira aperuerit solertia, magno illo *Melanchthone* præcone, qvi in Sermone Inaugurali factum

hoc dignissimum esse censuit, cujus memoriam posteritas omnis gratissimo retineat pectore; verùm secutis postea temporibus, in ditione sua, heic *Altdorfii*, sumtibus multò maximis nulliq; silenda seculo magnificentia, annuente cumprimis Supremo NVMINE, Divisq; IMPERATORIBVS successum exoptatissimum largientibus, nobilem exstrui *Academiam* curaverit, evocatis per amplissima præmia Viris Celebratissimis exornaverit, eamq; per longos difficillimorum etiam temporum decursus integram adhuc florentemq; conservaverit. Novit qvippe SENATVS Sapientissimus, qvòd publicè privatimq;, si qvidqvam aliud, maximè expediat, optima artium ingenuarum studia, non abjici, non contemni, sed diligenter coli, ipsisqve apta Musis domicilia parari debere ac consecrari. Qvodsi secus fiat, gravissimæ sanè calamitates turbulentissimæq; tempestates in qvavis etiam bene aliàs constituta Rep. solent exoriri. Pulsa enim vera eruditione, exterminata sapientia, fugatis artibus ac studiis, in locum succedent ignorantia turpis, insulsæ ac monstrosæ opiniones, detestanda improbitas; emarcescet

juven-

juventus, langvescent viri, computrescent senes, rebellabunt cives, despicietur Senatus, proculcabuntur sacerdotes, ludibrio exponetur justitia, omnisq; societas nil nisi Cyclopica erit barbaries atrumq; funus. Pleni sunt omnes libri, plenæ exemplorum historiæ, qvibus ita statuisse antiqvissimis jam temporibus viros sapientes constat, potentissimas opulentissimasq; Vrbes, scholis, professoribus, bibliothecis, aliisq; bonarum artium instrumentis, carere minimè posse. Quid Alexandriam, Athenas, Capuam, Antiochiam, Massiliam, Syracusas, Tarentum, Vetulonium, Neapolin, commemorabo; qvæ non tam civium multitudine, mercimoniis, opibus, potentia, inclaruerunt, qvàm artibus iis, qvibus ætas juvenilis ad humanitatem solet informari. Qvid illa gentium terrarumq; domina Roma, annon *ex Vtroq;* Imperatrix facta, *Arte* & *Marte?* Annon exercitus simul ordinavit, ac dicendi præscripsit leges, simul Dictatorem castris præfecit, ac Oratores pro rostris declamantes audivit? Vt malè profectò rationes subducere mihi videantur, qvi Musis cum Marte non convenire autumant, Scholasq; & Aca-

& Academias à civitatibus arceri cupiunt. Qvod ille apud Plautum inqvit, *In bono amico atq; hoſpite qvæſtus eſt qvod inſumitur*; id ego de Scholis illuſtribus, iis præſertim qvas *Academias* nuncupamus, confidenter dixerim. Eſt enim Lyceum tale publicum, diſciplinarum omnium officina, in qva præclara excuduntur ingenia, ad evehenda ſcientiarum augmenta & conſeqvendam famæ æternitatem: eſt inſtructiſſimum armamentarium, ex qvo omne telorum genus, ad debellanda ignorantiæ monſtra, ac munienda ſepiendaq; firmiùs bonarum artiumpomœria aptorum, depromitur: eſt famigerabile liberalium diſciplinarum emporium, in qvo ultrò citroq; commeantes cives & advenæ ſtudiis & laboribus negotiantur immortalitatem: eſt fertiliſſimum Eccleſiæ ac Reip. plantarium, ubi in herbis eſt ſpes omnis civitatis, & ex qvo tot nobiles ſurculi ad palmam & decus effloreſcunt: eſt alter in terris paradiſus ac hortus Edæn, è qvo Ganges Theologiæ, Nilus Jurisprudentiæ, Tigris Medicinæ, Euphrates Philoſophiæ, ſive Doctrinarum, Virtutum, Morum, Honorumq; fontes orbem univerſum



fœcun-

fœcundant, atqve, ut Lucretiano verbo utar, diluviant: eſt qvoddam Apollinis templum atq; oraculum, unde reſponſa ac ſortes petit Senatus populusqve eruditorum: eſt palæſtra nobilis, è cujus umbratili exercitatione in cœlum ac ſolem producuntur qvotidie tot fortes in ſago ac toga athletæ: eſt fatalis eqvus, militibus ſtrenuis ſemper fœtus, non excidio Trojæ, ſed mortalium ſaluti divina Palladis arte ædificatus, ex qvo diverſi diverſorum ordinum homines, omni tempore, freqvente prodeunt numero, & alii qvidem in aulas, alii in curias, qvidam in templa, nonnulli in ſcholas, proſiliunt, non locis tantùm ac regionibus patriis, verùm perpetuis humani generis ætatibus temporibusq; profuturi. O ergò felicem Remp. qvæ tanto gaudet theſauro, tanto ærario, promovendæ DEI gloriæ, Eccleſiæ ſaluti, civitatiq; univerſæ, qvàm maximè utili ac fructuoſo! O incomparabilem Sapientiſſimi SENATVS NORIMB. in cives ſuos, horumq; natos, & qvi naſcentur ab illis, liberalitatem benignitatemqve, qvâ maximorum Regum Principumq; veſtigiis inſiſtens, *Academiam* hanc noſtram *Alt-*

dorſinam tam magnificè condidit, conditam omnibus modis amplificavit, amplificatam clemente præſidio ac ſubſidio ſuo tueri, conſervare ac propagare contendit. Qvanta hinc lux dignitatis ac ſplendoris laudatiſſimo SENATVI, apud exteros etiam, longè lateq; exorta? qvantus laudum ac gratiarum cumulus? qvanta gloria? qvæ vigebit memoriâ ſeculorum omnium, qvam poſteritas alet, qvam ipſa æternitas intuebitur.

De *Vniverſitate* hac *patria* qvæcunq; hoc in *Orationum faſciculo*, ejusq; *Additamentis*, collecta ſunt Memorabilia, VOBIS, VIRI GENEROSI ac MAGNIFICI inſcribere, honoriq; veſtro ſempiterno conſecrare auſus ſum, qvòd ea, præ cæteris aliis, VOBIS non uno debebantur nomine. Vos enim providâ circumſpectiſſimaq; Inclyti SENATVS NORIMB. curâ deſignati eſtis his temporibus Academiæ hujus Curatores, Patroni ac Numina tutelaria; qvorum ſub patrocinio Muſæ noſtræ Altdorfinæ ſacris indulgent otiis, atq; halcyoneos agunt dies; qvorum lumine ſplendent hodieq;, & ad remotos mundi terminos ſuæ projectant radios famæ;

qvo-

qvorum tam præclara atqve immortalia hoc in Athenæum ſunt merita, ut æqviſſimum duxerim, hanc qvantulamcunqve laboris mei operam *Magnis Veſtris* dedicare *Nominibus*, eaq; in omnium, qvotqvot Libellum huncce legent, conſpectu locare, ac perennaturæ poſterorum memoriæ, hac veluti tabula in Famæ delubro ſuſpenſa, commendare. Qvicqvid in divina hac Pieridum ſede, ſapientiæ domicilio, ſecuriſſimo literarum ſacrario, & magnarum animarum prytaneo, partim Anteceſſorum veſtrorum, partim veſtris auſpiciis, labore autem ac induſtria Profeſſorum, feliciter excogitatum præſtitumq;, & à me hìc annotatum eſt, id omne non poteſt non cedere veſtræ cumprimis laudi atq; exiſtimationi. Sicut flumina ex vaſta Oceani amplitudine profluentia, ad eandem illam, veluti matrem ſuam, citato ac perenni redeunt curſu; ita qvi ex uberrimis Veſtræ Majorumqve veſtrorum Prudentiæ Benignitatisq; fontibus hoc in Lyceum Altdorfinum emanârunt rivi, ad VOS viciſſim cum novo Gloriæ veſtræ augmento revertuntur. Accipite ergò, VIRI Summi, Patroni Maximi, benignis vulti-

 bus



bus hanc qvalemcunq; pietatis meæ, ac pro tot tantisq; benefactis grati animi, tesseram; Nobilissimisq; *Nominibus Vestris* inscripta legi permittite, qvæ ab omni posteritate non sine pulcherrimo sapientiæ ac magnificentiæ vestræ elogio perpetuò legentur. Favete *Gloriæ* huic *Academiæ Altdorfinæ*, & in ea simul *Vestræ!* Custodite, qvem DEVS curæ fideiq; vestræ commisit, pretiosissimum hunc illustris scholæ thesaurum deinceps qvoqve, in divinæ gloriæ augmentum, atqve ingens Reip. emolumentum; thesaurum, qvem nec ærugo edit, nec rodit tinea, nec rimantur fures, nec Vulcani Neptunive ira absumit. Esto hic *Vobis* signatorius in digito annulus, esto, optamus, nota memorialis manibus vestris impressa, atq; ut cordi affectuiq; proxima sit, jaceat inter ubera vestra tam pretiosa tam dilecta merces. Nolite, qvæso, committere, ut cuiqvam vel ad suspicandum olim, vel nunc metuendum, caussa præbeatur, qvasi vestro sub regimine Academiæ flori ac vigori qvidqvam decesserit aut decessurum sit. Ac licet superbus Asiæ regnator & trux Hannibal ad Pannoniarum portas nunc sedeat, stupendoq;

doq; belli apparatu Europam perterrefaciat; licet ab occidente pariter nubes atra atqve horrenda ignei ſpiritus tortis vibratisq; diſcurſibus videatur exſurgere; licet Reges Principesq; terrarum mutuo motu aut metu invicem ſuſpenſi hæreant; VOS tamen, PATRONI Optimi, concedite, ut in umbra Academica, veluti alta in pace, pacis ſtudia nos porrò meditemur, nec apertô Jani templô Muſarum atria claudantur. Et verò qvòd ſingulari atqve inaudita virtute RESP. NORIMB. ſæviente etiam Bellonâ Minervam reſpiciat, Profeſſoribus æqvè ac Militibus liberalia eroget ſtipendia, lauruq; duplici Apollini Martiq; ſacra ſuperbiat, id jam ab illuſtri *Scaligero*, Patre, deprædicatum eſt; qvi memorabile ſuum, qvod de Vrbe *Nuremberga* fudit, carmen, his obſignat verſibus:

Qvis putet horrifico ſociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe, & Phœbi felicia tempora laute:
ſanctaq; ſit valido fœdere juncta fides.

Omnibus ex iſtis ne tu ne dempſeris unum.
Addere qvin potiùs omnia magna, tuum eſt!

Sic nos docentes juxta ac diſcentes qvotidie ardentiſſima vota precesqve pro Ampliſſimi SENATVS NORIMB. perpetua felicitate, ac Veſtra ſpeciatim incolumitate, ſalute, vita, nuncupabimus, atqve indefeſſo operabimur ſtudio, ut, cùm nihil in rebus humanis ſit opere aut manu factum, qvod non aliqvando conficiat & conſumat vetuſtas, Veſtræ tamen laudes & gloria floreſcant magis ac magis, incrementisq; perennibus ad ſeros nepotes & longè ventura ſecula transmittantur, non deſituræ, donec cum orbe hæc deſierit eſſe Academia. Valete DOMINI AC PATRONI; DEVS Vos Patriæ, Vniverſitati, ac mihi, diu ſervet ſoſpitetq;! Scrib. AltdorfI Nor. ipſis Non. Maji, A. O. R. CIↃ IↃC LXXXIII.

AD LECTOREM.

ANte ipsos jam annos septem recitata est meo sub moderamine Oratio hoc in Fasciculo prima, de Memorabilibus Academiæ Altdorfinæ; eaq; jubentibus mox declamatoris mei Patronis, prelo typico subjecta. Non improbârunt hoc institutum nostrum Auditores Lectoresq; bene multi, vel ideo, qvia Altdorfina nostra paucos adhuc nacta erat laudatores; aut si qvis de ejusdem cogitârit præconio, parum tamen aut nihil hujus prodierat in lucem. Ac tunc qvidem propositum mihi non erat, almæ hujus meorum qvoq; studiorum nutriculæ laudes, sive hoc sive alio scribendi modo perseqvi pluribus; etsi qvæ in prima illa Oratione de celeberrimis Lycei hujus Professoribus dicenda fuissent prolixiùs, breviter tantùm ac strictim erant commemorata. Tempore autem procedente commilitones qvidam, præclari Juvenes, qvos merito suo in seqventibus laudavi Programmatibus, operæ mecum putaverunt pretium fieri posse, si de Altdorfinis qvatuor, uti vocamus, Facultatum Professoribus singillatim conscriberentur Orationes, & qvæ de ipsorum hanc in Universitatem meritis ac scriptis colligi possint, prædicarentur pro Senatus Populiq; Academici concione. Exorsa igitur nobis hæc est tela non malè omnino, tandemq; DEI virtute pertexta. Et postqvam partim de scripto partim memoriter, publico in acroaterio, hæ qvoq; recitatæ fuerant Orationes, stimulabant me, eas ut publicarem, Auditorum complures, ac nonnulli etiam ex Ampliss. Dnn. Collegis meis, qvibus uti debitum semper honorem lubens defero, ita hac sanè in re obseqvium detrectare, nefas meritò ducebam. Accessit & aliorum desiderium, qvi, cùm primæ Dissertationis exemplaria, etsi non pauca, celerrimè distracta fuerint, novam ejus expetierunt editionem. Reddidi igitur primam illam Orationem incudi, & pauca qvædam, poscente id præsentis temporis statu, addidi atq; immutavi; mox & reliqvas curâ secundâ percurri: in qvibus si fortasse rigidior qvispiam Aristarchus nonnulla ad exactam scribendi normam

haud

haud adeò limata deprehenderit, is sciat, maluisse me auctoribus sua, ut primùm pro ætatis captu atq; indole nata sunt, relinqvere, qvàm multa adsuere aliena. Faciant potiùs jacturam ornatus, qvàm laboris sui, Eximii Juvenes; dum ipsis ac mihi sola hæc suffecerit ambitio, nos bonorum civium Academicorum, piorumq; erga tot Beatos Manes veneratorum, officio, ex fide saltem, si minùs ex decoro, perfunctos esse. Interea tamen, dum typis altera jam vice excusa fuerat Oratio prima, secundæq; ac tertiæ à typographo lentè satis, reliqvarum verò nimis festinanter, parabatur impressio, succurrerunt occurreruntq; mihi non pauca ad argumentum hoc magis illustrandum apprimè pertinentia; qvæ ad calcem libelli, operâ licet verè extemporali, adjicere utiq; duxi conveniens. Qvemadmodum enim, qvi vindemiam faciunt, si post primam uvarum collectionem fortè in racemos qvosdam haud pœnitendos inciderint, eos qvoq; in torcular injiciunt, sicq; non modò fidem solvunt dominis debitam, sed & rem illis præstant non ingratam: haud secus ea, qvæ Orationibus istis superaddidi, & grata tibi, Lector, fore spero, & utilia. Adhæc cùm monumenta qvædam sepulcralia Orationibus jam excusis inserta, minùs accuratè ab aliis (qvibus Oratores mei habebant fidem) descripta animadverterem, haud pigratus ipse sum oppidanum visere templum, obire acroateria, perreptare sepulcretum, Inscriptionesq; instituto nostro inservientes diligenter colligere, ac bona fide, Lector Benevole, tecum communicare. Qvare nec tu pigraberis, ipsi Orationum lectioni sedulò conferre subjunctum hoc, factâ jam messe, spicilegium. Atq; sic satis, opinor, probavi tibi facti nostri rationem. Dixeris forsan: Majorem tamen à me inivisses gratiam, si Res Altdorfinas *aliâ scribendi ratione recensuisses, cumprimis Historicâ, atq; icones simul Dnn. Professorum si non omnes, eas saltem, qvarum copia haberi potuisset, exhibuisses! Ad qvæ breviter hoc tibi in aurem:* Qvod sole verno haud potuit, maturescet fortassis autumno. *Interim his fruere, mihiq;, si mereor, fave!*

ORA-



ORATIO I

De

MEMORABILIBUS ACADEMIÆ ALTDORFINÆ.

PROGRAMMA.



Ratoriæ exercitationi dictus est dies Saturni crastinus, cujus horâ pomeridianâ primâ, locô consvetô, suas in dicendo vires experietur è juventute erudita Eximius ac Præstantissimus DN. JOHANNES MAURICIUS LAUBINGERUS, Schwandio-Marchicus, *solertissimus Philosophiæ pariter & Theologiæ Studiosus. Is argumentum Orationis aliunde non quæret longiùs; nec propositum ipsi est cum Phavorino Thersitem aut qvartanam laudare, calvitium cum Synesio, muscam & parasiticam cum Luciano. Materiam hic ipse locus suggerit. Altdorfii de Academia Altdorfina dicturus est. Neq; verò, ut splendorem arcessat orationi, dicere multa necesse habebit de origine scholarum academiarumq;, aut de earundem perpetua successione ad hæc usq; tempora, ne actum agere, & post Homerum Iliada scribere videatur; nec literarum scholarumq; utilitates multis perseqvetur, cùm ad encomia illa* πολυθρύλλητα *non incommodè Virgilianum illud deflecti possit:*

--- --- Qvis non Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos,
Hippodameq;, humeroq; Pelops insignis eburno?

Verùm ACADEMIÆ ALTDORFINÆ MEMORABILIA *recensebit, non pervulgata illa vel protrita, sed digna, de quibus nulla secuturi temporis ætas conticescat. Multa proferant commemorabilia eruditi de antiqvissima Ebræorum Hebron, vetustissima Phœnicum Debira, nobilissima Ægyptiorum Memphitica, pulcherrima doctrinæ officina Alexandria, illo* ἑλλάδος μουσεῖῳ *Athenis, & primo in Italia bonarum artium seminario Vetulonio; consecrent literarum perennitati res memoratu dignissimas de celebrioribus aliis Europæ, & inprimis Germaniæ, scholis; plurima qvoq; ad memoriam insignia habet hæc nostra Altdorfina, propter qvæ nonnullis illarum palmam præripere, bene multis certè dubiam reddere sustineat. Qvid tu verò ad hæc? Nihil esse domi, dicis, nihil hac in Universitate, qvod visu, qvod cognitu, qvod scitu dignum & memorabile? Ita qvidem videri possit nonnullis, in qvos Plinii illa qvadrant:* Ad quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea, sub oculis posita, negligimus: seu, quia ita naturâ comparatum, ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur; seu, qvòd omnium rerum cupido langvescit, cùm facilis est occasio, seu qvod differimus, tanqvam sæpe visuri, qvod datur videre, qvoties velis cernere. *Hac ipsa igitur de re in Oratorio campo tecum contendet civis nunc atq; hospes noster antè laudatus, mellitisq; verborum globulis & clarissimis ostendet rationibus, nos fortunatos nimiùm, nostra si bona noverimus agricolæ. Macte virtute hac, doctissime* LAUBINGERE! *Campus magnus & apertus, fateor, tibi datur, in qvo latissimè possit tua excurrere Oratio. Vos autem,* Magnifice DN. RECTOR, Perillustris & Generosissime DN. BARO, Excellentissimi, Clarissimiq; DNN. PROFESSORES, Tuq;

Nobi-

Nobilissima Studiosorum Corona, *hanc Oratoris nostri industriam suffragiis vestris ut ornetis, præsentiâq; dignemini auscultatione, per tot Academiæ hujus sacra precamur atq; contendimus. Est hæc ipsa illa Altdorfina, cujus omnes membra sumus, qvæq; nos cunctos uno sinu complectitur. In ejus unius gloriam vergere volumus, qvicqvid de ipsa audietis. Audietis verò primùm de tenellis nascentis Gymnasii incunabulis, primisq; rudimentis. Neq; enim statim à fonte altum oritur flumen; non ipsô lucis ortu splendet meridies, nec in cunis infans disertus est. Post hæc parvulis ejusdem primordiis majorem subinde cumulum majusq; decus accessisse, mirabundi spectabitis, totq; & tanta de Norico hoc Lyceo percipietis* MEMORABILIA, *qvæ omnis cogitabit memoria, omnis loqvetur posteritas. Qvod reliqvum est, perennem sapientiæ fontem* DEUM *publicâ voce nobiscum invocabitis, ut Universitatis hujus Altdorfinæ fata, tempora ac fortunas benignè in perpetuum moderetur tueaturq;, & ex alto in posterum qvoq; benedicat* Magnificis, maximè Strenuis ac Nobilissimis REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS PROCERIBUS, *munificentissimis Athenæi hujus Nutritoribus, qvi sumtibus longè maximis, atq; immortalem ipsis gloriam certò pariturâ magnificentiâ* Academiam, *sive ut habet proverbium*, domum hanc ædificari cœptam, impolitam *hactenus* non reliqverunt. *Benedicat illis DEUS, DEUS Israël; & omnis populus dicat AMEN!*

MAGNUS DANIEL OMEIS. P. P.



ORATIO.

(Titt.)

L.15.§.26. ff. de Injuriis.

Catellianus Cotta memoral. p. 472. & seq.

TRalatitium est, verumq; ac vetus optimi civilium jurium magistri verbum illud: *Ea, qvæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur qvasi neglecta.* Audivistis sapiens dictum cum Julio Paulo *coryphæi* ita nuncupati Vlpiani, ipsius Imp. Justiniani encomio *eloqventissimi, nobilissimi, sapientissimi, parentis* imò *ipsius*, cujus etiam consiliarius fuerat & scrinii magister. Hujus egregiæ sententiæ memores qvin observantissimos dum esse oportet, qvotqvot res gestas legere, agrisq; & pagis, & collegiis, & Rebuspublicis & universis deniq; regionibus singularem existimationem conciliare student, antiqvitates, & exempla, & præstantiora monumenta commemorando, historiarum auctores; ecqvis temerè vitio & culpæ dabit, si qvis in apricum proferre, atq; ab interitu asserere contendat maximè memorabilia Academiarum, quæ sunt paradisi terrestres, seminaria ecclesiæ, plantaria Reipublicæ, valla & muri societatis humanæ, pietatis, honestatis, tranqvillitatisq; theatra, oculus provinciæ, Spiritus S. officina, Musarum sedes, διδασκαλεῖα λογικῶν καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια: unde tanquam ex liqvida & limpidissima scaturigine populi salus & felicitas promanat. Et verò, ut multa paucis complectar, Academiæ sunt salutares & perennes fontes, ex quibus vera DEI notitia, omnes honestæ artes, cætera vitæ bona, ornamentaq; præcipua in templa, scholas, curias, singulasq; familias exundant.

His virtutum officinis disciplinarumq; emporiis cùm accensenda qvoqve sit alma hæc Altdorfina nostra, de ejus *Memorabilibus* dicam, pace vestrâ, Auditores omnium ordinum honoratissimi, argumento neq; trito multùm, neq; in vulgus cognito, neq; injucundo. Quod meum propositum felicem ut conseqvatur exitum; vosq; adeò de gravissima hac materia pro genii & ingenii modulo in hoc amplissimo consessu disserenti faciles & benevolas præbere aures ne dedignemini, eâ, quâ par est, animi submissione oro atq; contendo.

Et qvidem in ipsis carceribus pauca præfari ut liceat de auspiciis Palæocomes nostræ, qvemadmodum maximi fluvii exiguis oppidò gaudent fontibus, affluentibus tamen rivis, alluvieqve passim ebullientium undarum in majus excrescunt, augenturq; & in unum confluunt: ita etiam se res habet cum academia hac Altdorfina ejusq; primordiis & incrementis. Nimirum post liberatam ab idololatria Pontificia anno 1524. Norimbergensium ecclesiam, Illustris ejusdem Reipublicæ Senatus pro edecumato suo adversus liberales artes favore, an. 1526. in cœnobio inprimis Egidiano semina futurorum in universam rem literariam incrementorum jecit, scholamq; præter reliquas urbis dedicavit insigniorem, quam ab Atheniensibus mutuatâ voce Gymnasium nuncupamus, laudati jam Senatus id temporis principibus CASPARO NVTZELIO & HIERONYMO EBNERO. Qvæ qvidem exoptata bonarum mentium sedes cùm post annum ejusdem superioris seculi sexagesimum & seqq. à nativo suo splendore, vitio temporum & nescio qvo fato, desciscеret, Patres Patriæ diu multumq; consiliis agitatis de translatione illius sive in cœnobium, cui nomen *Vallis Angelica*, sive Hersbruccum, sive Altdorfium, relictâ ad divum Egidl scholâ, qvam vocant, triviali, tandem Altdorfium selegerunt, ibidemq; die Dominico, prid. Calend. Octobris 1571. adstantibus, manusq; ipsis admoventibus Senatoribus splendidissimis DNN. HIERONYMO PAVMGAERTNERO & CHRISTOPHRO FVRERO, qvi, teste Ern. Sonero, Architecturæ omnes articulos calluit, totum opus à solo excitatum est, lapide in radice ædificii baseωs vice suffundato, cui nummus argenteus pro veteri consvetudine fuit insertus, hac qvidem cum inscriptione ab una parte:

D. O. M. S.

ANNO A NATO CHRISTO M. D. LXXI. ROM. IMP. DIVO MAXIMILIANO II. RESPVBLICA NORIBERGENSIS, PATRIBVS PATRIÆ ET SEPTEMVIRIS EIVSDEM ANDREA IM HOF, SEBALDO HALLER, JODOCO TETZEL, BALTHASARO DERRER, GABRIELE NVTZEL, GEORGIO VOLCKAMER, ET THOMA LÖFFELHOLTZ, TVM OP-

OPPIDI PRÆFECTO BALTHASARO PAVMGAERTNER, DOMVM HANC PRO GYMNASIO IVVENTVTI IN STVDIIS PIETATIS ET LITERARVM INSTITVENDÆ, A PRIMIS FVNDAMENTIS EXSTRVI CVRAVIT. IN CVIVS MEMORIAM GEORGIVS VOLCKAMER ET HIERONYMVS PAVMGAERTNER, OB DEMANDATAM ECCLESIARVM ET SCHOLARVM PROCVRATIONEM, HOC NVMISMA F. F.

Ab altera parte, circum insignia duplicata Reip. Norimb., supra qvæ biceps Aqvila, signum Rom. Imperii, hæc est inscriptio:

FVNDAMENTVM SALVTIS NOSTRÆ CHRISTVS.

Instituto isti non invitâ Minervâ cœpto ubi extrema manus accessit, tandem sollennis subsecuta est introductio anno 1575. die 29. Junii, ut videre est ex ἐπιγραφῇ, quam collegii porticus nobis etiamnum exhibet, patulâ abunde satis qvibusvis ad nos ingressis, & quam proinde ut recitemus hîc operæ non est. Et verò recens erectum Lyceum hoc per triennium, & quod excurrit, solâ Gymnasii nuncupatione circumferebatur, quando demum an. 78. die 26. Nov. augustâ munificentiâ atqve auctoritate invictissimi gloriosissimæ memoriæ Imp. Rudolphi II. Academicæ dignitatis cepit primordia, concessâ videlicet Philosophiæ baccalaureos & magistros publicè in ea renunciandi facultate: qvæ privilegia sollenniter promulgata fuere anno 1580. die Jacobo sacrâ: & is ipse nimirum academiæ hujus fuit natalis. Ita Gymnasii nomen quatuor scholæ oppidanæ classes subibant adinstar seminarii deinceps academiæ, quæ tanquam arbores duæ unius radicis major minorq; floruerunt annos bene multos, donec arbore academicâ in tantum vastis dispansâ ramis, Gymnasii verò arbore vel surculo potiùs ad interitum vergente, Proceres Reipubl. Norimberg. alteram dicti modò Gymnasii translationem, Altdorfio puta Norimbergam, in priorem cœnobii Egidiani locum complecterentur animo atq; cogitatione; qvæ bonis avibus processit an. 1633. Inter hæc verò Augustissimus Imp. Ferdin. II. die 3. Oct. 1622. Senatui Norico nova indulsit privilegia, in iisq; pristina non solùm clementissimè constabilivit & auctoritate

tate roboravit, ſed etiam ad Juridicam & Medicam facultates prolatavit, facta ſimul creandi poëtas laureatos poteſtate. Publicata ſunt privilegia hæc ſpectabili in panegyri feſto Petro-Paulino die 29. Junii 1623. Isqve alter academiæ hujus exſtitit natalis.

Poſt hæc rudi quaſi penicillo adumbrata incunabula Vniverſitatis noſtræ & ſumma primordia, dum nucleum in præſenti anqvirimus, & qvalicunqve acie mentis ruminare intendimus admirabilia, & præ aliis maximè commemoranda ejusdem decora monumentaqve, primo tanqvam intuitu offerunt ſe illuſtres ſtatuæ, etiam nunc toto ſplendentium orbe, nec adeò ſanè fumoſarum imaginum. Genitores, exiſtimate, me dicere dulcis hujus nutriculæ, & qvicqvid trophæorum debetur inde, qvod commodi evenit in univerſum orbem. Sunt illi (audite ac veneramini Splendidiſſima ut Nomina ita rei literariæ in ævum commemoranda Columina) BEHAIMII, DERRERI, EBNERI, FVRERI, GEVDERI, GRVNDHERRI, HALLERI, HARSDÖRFFERI, IM HOFII, KOLERI, KRESSII, LÖFFELHOLZII, NVTZELII, PAVMGAERTNERI, PFINZINGII, POEMERI, SCHLVSSELFELDERI, STROMERI, TETZELII, VOLCKAMERI, WELSERI, aliiq; plures, Patricii veterrima Nobilitate multis retrò ſeculis clarentes, qvam ut in Statu univerſæ Reip. Noricæ, ita eandem apprimè eximiam reddidere ſingulari prudentiâ, magnificentiâ & liberalitate in alenda conſervandaq; hac Academia, & providâ non minùs curâ in deſignandis ſemper SCHOLARCHIS QVATVOR ac Procancellario, Viro cordato & circumſpectiſſimo; qvales fuerunt & ſunt *Camerarii, Remi, Oelhafii, Richteri, Fetzeri*, JCti, Polyhiſtores ac Oratores Excellentiſſimi.

Agite verò AA. repetamus altiùs primordia, invictiſſimas contemplando aqvilas, ſub qvarum alis ſuccum qvaſi concepit & ſangvinem noſtra hæc ſchola. Et primùm ſpectate mihi qvæſo RVDOLPHVM, nomine qvidem ſecundum, gloriâ ſi non primum, poſtremum ſaltim nulli Imperatorum: atqve in eadem linea collocandum II. FERDINANDVM, auguſtæ domus Auſtriacæ ſtupendos heroas, qvorum ille prima philoſophicæ facul-

cultati summorum honorum longè lateq; deferendorum, hic verò eodem, quo ipsum hoc sollenniter accidit, natus anno, amplissimis collegiis JCtorum ac Medicorum paria sponte qvasi clementissimo indultu concessit privilegia.

Vt verò propiùs in rem accedamus, qvæ fortè aliis Germaniæ, imò Europæ academiis fuerit communis, de cœli salubritate, lociq; & confiniorum multijuga amœnitate verbum ut ne faciamus ullum; progredimini mecum quæso in ipsum qvasi sacrarium divæ nostræ Minervæ, regiumq; & aptissimo ornatu exstructum Collegium, qvod vocant, nostrum intuemini, non jam ab ambitu aut areæ amplitudine metiendum, etsi nec illa suo profectò destituitur splendore, verùm si rectè dispiciamus, ita æstimandum, ut in eo mediocrem, sed elegantissimum tamen in diversas distributam familias, plurimisq; & structuris, & variarum conditionum receptaculis fulgentem contemplemur civitatem. Patent hic primùm acroateria qvatuor, nitida, munda, supellectile, qvâ opus est, instructissima, qvaqvaversum patula, delitiasq; in animis freqventantium sponte excitantia; mirandum anatomes theatrum, & sceletorum horrendis figuris, & spectatorum sedibus antiqvi qvasi amphitheatri nova referens simulacra. Sacratæ ad publicos usus bibliothecæ qvotannis accrescens museum, nobilissimi Senatus beneficio facili annonâ fruentis congregationis academicæ cœnaculum, ipsi juxta Oeconomo cum omni familia commodam præbens habitationem; &, quod rarius est (nec enim libet verbulo attingere vel publici academiæ ministri, vel alia ad diversos usus hìc parata domicilia) singulare, planeq; magnificum lyceum, duodecim omnium facultatum commilitonibus sustentandis, vestiendis, alendis, exercendis, informandis, præside inspectore, viro semper doctissimo, incredibili pietate institutum. Creditis, omnia me jam in nostra hac statione fuisse emensum; qvin verò restant plura ferè, qvàm dixi. Qvinqve omninò Professores etiam cum familiis amplissimis lares intra Collegii muros facilè figere, & ad hæc singulos academicis civibus qvibusdam diversa locare musea qvis non pæne admiretur? Ampliùs imò, qvod dixero, fuerit, qvà se sol oriens meridiem versus flectit, duo speciosa benè contignati atqve arcuati ex parte operis habemus ambulacra, superius

rius alterum, alterum inferius, incumbens utrumque publicis theologicorum ac philosophicorum studiorum theatris, quorum magnificis exstructa sumtibus utrumque nostræ Minervæ sacra facientibus septem nitida, nec sine multis singularibus commoditatibus, præbet receptacula; prospectus utrinq; jucundissim', hac in aream Collegii, illac in finitima montana, propinqua prædia, adjacentes agros, hortos, silvas: ut si acrius contempleris tam rari ædificii ambitum, compendium multifariam digesti boni ordinis, & optime compositæ Reipublicæ per imperantium & parentium diversas series concinnam te spectâsse sponte profitearis harmoniam. Neque silentio prætereundum, quod, qui nunc est Triumvir REIP. NORIMB. & Primarius Vniversitatis Curator, Vir maxime Insignis, titulisq; par omnibus, GABRIEL NVTZELIVS, Nützelianum Museum in ambulacro isto Collegii inferiore mundû nitidumq;, summa, qua Musas earumq; cultores prosequitur, humanitate, paucos ante annos, ad publicos DNN. Professorum conventus, aliosque congressus sollenniores, destinaverit. Quod ipsum loquitur Monumentum ære perennius eodem in conclavi, tanquam in Memoriæ fano, erectum:

GABRIELI. NVTZELIO
PATRIÆ. PATRI
SEPTEMVIRO. ATQ. NVNC. PROTOSCHOLARCHÆ
PIO. SAPIENTI. FELICI
QVOD. IS. APPLAVDENTE. AC. ADPROBANTE
NOBILISSIMO. AC. STRENVISSIMO
DNN. SCHOLARCHARVM
ORDINE
NVTZELIANVM. HOC. MVSEVM
PRIVATVM. ANTIDHAC. IAM. PVBLICVM. FECERIT
ET. INVSITATA. POSTERISQ; PRÆDICANDA. BENEFICENTIA
ADMINISTRANDÆ. IVSTITIÆ. COGNOSCENDIS CAVSSIS
PVBLICIS. ACADEMICI. SENATVS. SINGVLARVMQ; FACVLTATVM

CONGRESSIBVS. DICAVERIT
AD. PERENNEM. GRATÆ. MEMORIÆ
TESTIFICATIONEM
MONVMENTVM. HOC. LIBENS. MERITO
RECTORE. VNIVERSITATIS. CENTESIMO
JOHANNE. SAVBERTO
S. THEOL. D. ET. PROF. PRIMARIO
SENATVS. ACADEM. P.
MENSE. MAIO
CIↃ IↃ C LXXVII.

Proficiſcamur nunc, agite, ulterius, & extra urbis pomœria, non academiæ tamen, ad pomarium & herbarium, & florifera tempe, non temerè comparandi aliis, admirandi profectò, & innumerorum germinum uberrimâ ſegete efflorеſcentis quaſi totius naturæ compendii, noſtri Vniverſitatis horti Quem non is in ſtuporem rapiat ingreſſum non vere, non æſtate, ſed continui prope anni menſibus, & arbuſtis, & fruticibus, & floribus, & æſtivis hibernisq; pariter plantarum ſuaviter educendarum conſervandarumq; manſionibus, & denique ex toto quaſi orbe rarâ & incredibili curâ conquiſitis, atq; intra vaſtum ſepti illius ambitum paſſim copiâ jucundiſſimâ ſuperbientibus omnis generis plantaginibus. Linguas centum, oraq; centum fas heic ſit me poſcere: ineptus fuerim, ſi verbum addidero. Ipſum pro me loquatur patens cuiq; quaſi regium hoc viridarium, atq; veriſſimum, ut fari ſic liceat, academiarum Germaniæ miraculum; quin & loquantur pro me Manes inprimis exquiſitiſſimi Botanici & Floræ noſtræ cultoris, Ludovici Jungermanni: loquatur pariter cæteroquin etiam Celeberrimus laudati viri ſucceſſor adeò dignus, ut parem uſu & experientiâ videatur habere neminem, Mauricius Hoffmannus, de quo præſtat tacere, quàm pauca dicere.

Nolo quippe quempiam præſentium ac etiamnunc ſuperſtitum noſtræ ſcholæ Doctorum laudare in os, ne memorare quidem ævo huic decantata nomina, maximè ordo cùm nos deducat ad veneranda eorum ſtupentes quaſi ſubſiſtere ſubſellia; quanquam gloriosè emeritorum & ad ſupernas ſedes jamtùm evectorum, absque adulationis ſuſpicione, mentionem injicere poſ-

poſſimus tutiùs, cùm tamen laudibus ipſorum propalandis, ne qvid ab iis deteratur, multò impar ſit modeſtia noſtra, qvod per ambages fieri fas eſſet, in præſenti nolumus celebrare univerſi pænè eruditi orbis magiſtros: Edonem Hildericum à Varel Friſium, Nobilem Jeverenſem, Chriſtianum Matthiam, Dietmarſum, Georgium Königium, Ambergenſem, Chriſtophorum Crineſium, Schlackenwaldenſem, Theodoricum Hackſpanium, Vinarienſem, & Joh. Conradum Dürrium, Noribergenſem, Theologos: JCtos, qvibus pares vix ulla Germaniæ academiarum vidit, Obertum Giphanium, Buranum Geldriæ, Hugonem Donellum, Cabilionenſem Hedio-Burgundum, Scipionem Gentilem, Caſtellenſem S. Geneſii Agri Piceni ſeu Marcæ Anconitanæ, Petrum Weſenbecium, Antverpianum, Conradum Rittershuſium, Brunovicenſem, Wilhelmum Ludwellum, Elbinga Boruſſum: etiam Medicos, Nicolaum Taurellum, Mompelgardenſem, Philippum Scherbium, Cella-Helvetum, Erneſtum Sonerum, Norimbergenſem, Caſparum Hoffmannum, Gothano-Thürigetam, Ludovicum Jungermannum, Lipſienſem: & porrò deniq; Philoſophos, bonarumq; literarum magiſtros, Valentinum Erythræum, Lindavienſem, Michaëlem Piccartum, Noricum, Johannem Prætorium, Joachimico-vallenſem, Michaëlem Virdungum, Kittingenſem, Danielem Schwenterum, Norimbergenſem, Philippum Caroli, Neoburgicum, levem qvidem transfugam, inſalutatis qvi & hoſpitibus, & collegis, & patronis ad Pontificios miſer conceſſit, feroq; cum Phrygibus fortaſſis ſapiens, perfidiæ, ut ajunt, vitâ duriter ductâ miſeriori ejus exitu pœnas dedit; Chriſtoph. Adamum Rupertum, Wertheimenſem Francum: quorum omnium in omnem literariam Rempublicam merita, diverſisq; inclareſcendi generibus parta encomia, etiam hodie, veluti jam pridem, volitant doctorum per ora virûm; quorum etiam elucubratiſſima, qvin prope innumera dixerim, ſcripta ſuo in pretio, hoc eſt, ſummo æſtimatiſſimoq; manebunt, nec interibunt niſi cum nominibus auctorum, conſummatione inqvam hujus Univerſi.

Nec diffiteri tamen fas h. l. fuerit, ſuum qvaſi peculiare infelix fatum expertam fuiſſe, in ampliſſimo Philoſophorum ordine, inclutis cæteroqvin doctoribus exſplendeſcentem ſacræ

Ebrææ lingvæ Profeſſorum ſeriê, neqviſſimorum ex Judæis inter Chriſtianos proſelytorum trigâ, unius jam publici muneris facultatem indepti, duorum verò ipſi edecumatâ Procerum gratiâ deſtinatorum. Primus Julius Conradus Otto in ſacro baptiſmatis actu nuncupatus eſt, qvod ſeculi hujus tertio qvidem anno ſuſcepit, &, ut vitæ aucuparetur ſubſidium, ſimul publicum docendi munus, idq; obiit etiam qvadantenus, qvod ſcimus: nam ſuppoſititiis, qvæ protruſit, ſcholiis, ſub epigraphe Gali Raſia, tam parum Chriſtianæ Eccleſiæ utilitatis, qvàm ſibi nominis, utut tota qvaſi ex indole gens iſta gloriabunda aliàs eſt, conciliavit. Et verò, ne temere prolatum per ſe eſſet iſtud cæteroqvin verporum proſelytorum teneris auriculis intolerabile verbum atq; conſilium ſancti ac incomparabilis Theandri Lutheri: Judæum, ſi qvicqvam deinceps benè ſperandum de ipſo, poſt collatum ſacrum lavacrum tutiſſimè de ponte eſſe dejiciendum ac ſubmergendum; cùm vix per qvadriennium ſtipendia apud nos meruiſſet, peſſimè ſibi conſcius, patronis inſalutatis, turpiter aufugit.

In Colloqv. cap. XIII. fol. 185.

Poſteriorum, qvos dixi, alter Joſephi Bar Zadok nomen in circumciſione nactus, genere Poſnenſis, profeſſus poſtea lubrico animo fidem Chriſtianam, ac ſeculi currentis undecimo anno Dominicâ Qvaſimodogeniti in æde noſtra Parochiali ſacro tinctus flumine, ampliſſimo, ut ipſe publicè fatetur, mactus ſalario ab Illuſtribus Patriæ Proceribus, in ipſa urbe Norimberga futuri, cui mancipandus erat, muneris prælegendo edidit ſpecimina & qvaſi præludia. Sed eccum nondum octennium decurſum fuerat, qvod homo nauci pridem tacitè muginabatur, id clam omnibus, qvos ſcire intererat, dedit effectum, facto ad Pontificios tranſitu, adeptus Herbipoli fictitium Confirmationis, qvam vocant, ſacramentum. Qvod omne qvanqvam ultra triennium egregiè, ſi Diis placet, diſſimulâſſet, & perſonatus noſtri gregis aſſecla non homines modò, verùm etiam ipſum, qvi falli neqvit, callidè feſelliſſet, cùm res celari amplius neqviret, atqve is rerum geſtarum rationem, qvod fas erat, reddere juſſus eſſet, *exivit de nobis, qvoniam non fuerat de nobis*, ut verba Apoſtoli meritò huc transferamus; Viennamq; conceſſit, inſtitutâ ibi apud Cæſarem O.M. adverſus optimè meritos patronos atrociter intentatâ, ridiculâ tamen, & qvæ locum facilè non inveniebat,

In præf. libri Scala vera leruſ.

I. Joh. II, 19.

niebat, actione, perfidiâ plusqvàm Judaicâ, ſcriptoq; mox eum in finem virulento libello, qvem inſignivit, Scalam veræ Jeruſalem, neqve hanc fortè ingreſſus, neqve iſtam intuitus.

Alter verò propiùs hæret civium populariumq; memoriâ. Chriſtianum de Pomis denominari ſe petiit ab iis, qui in ſacro myſterio pro ipſo ſpopondère; homo innumeris pænè beneficiis à noſtro cœtu cumulatiſſimus, verſipellis autem & ex mendaciis ac fraudibus conflatus totus, qui, multiplici ære alieno ſubdolâ ſpecie contracto, poſtqvam ſuis fucis & ſutelis plurimis ſublevìſſet os, & glaucoma ob oculos objeciſſet, effuſo curſu clanculum ſe hinc ſubduxit, neſcio ubinam gentium nunc latitans, famoſus iſte, ſaltim apud nos, nequitiæ artifex & magiſter.

Meretur fortaſſis utriq; iſtorum adjici tertius, Elchanon antea dictus, profeſſione autem apud nos factâ Paulus Pragenſis, converſus & ſalvificæ fidei initiatus pariter Norimbergæ ſuperioris ſeculi ſexto qvinqvageſimo anno, ut ipſe diſertè prodit in libello: Gründliche und klare Beweiſung; ſed poſt annos duodecim Chellimi in Poloniâ per execrandum Chriſtianorum myſteriorum ludibrium rebaptizatus; qvod immemor impietatis fatetur in libello, cui titulus: *Myſterium novum.* Qvanqvam fortè id à nemine hactenus, præfiſcine dixerim, adverſum fuerit ita, ut publicis traditum ſit chartis: Annon verò hæc perfidia plusqvam Punica? Nihil veri, nihil ſancti in iſto nebulone fuit unqvam, nullus Dei metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Accipite verò, qvem impius ac impurus ſanctæ fidei noſtræ hoſtis nactus fuerit finem. Conſtanti qvippe narratur famâ, eum Pragæ in publicarum ſordium colluvie deſidentem ſceleratam efflâſſe animam, & ſemianimem, cùm Judæi ſabbato ex ſua Synagoga domum reverterentur, transeuntes interrogâſſe: qvænam hodie paraſcha pro concione eſſet recitata? cùm regeſſiſſent: eam, qvam vocant, אִם בְּחֻקֹּתַי præcedentem voculam, ut erat vulgò in Cabbala magnus Pan, per eam ſpeciem, qvam Notarikon appellitant, animâ in primoribus labiis jam ſedente, ita expoſuiſſe:

אימות מבקשים איש משיחכם
אנו מסיבים אלהינו מת

 h. e.

h. e. *Gentes qværunt ex nobis: Vbi eſt Meſſias veſter? at nos reſpondemus: DEVS noſter eſt mortuus.* Qvanqvam excuſare hominem & dicterium elevare auſus ſit celebris ille apud nos proſelytus Ern. Chriſt. Zarfoſſi, Chriſtianum exinde eodem cabbaliſtico artificio ex voce ſeqventi בחקתי eliciens ſenſum, qvod coràm ex ipſo intelleximus, hoc videlicet modo:

בעברנו חי קם תמיד יהיה

Qvaſi dixerit: mortuus eſt, nempe *propter nos: vivit, ſurrexit, in perpetuum erit.* Argutius fortaſſis qvàm verius.

Ignoſcite qvæſo, Auditores honoratiſſimi: qvò enim delabor? imò qvò proripuit me iſtud hominum cacoëthes? Igitur ut in viam me recipiam, ex ampliſſima Patrum conſcriptorum academiæ hujus ſocietate, qvod vel ipſum verbo fuerit attingendum, etſi vos id ante probè tenere reor, qvidam ad inſignes gravesq; functiones ab Illuſtribus Magnatibus Statibusq; aliò fuêre evocati, qvos nec ipſorum, nec ſcholæ hujus latè percrebeſcens & diffuſa fama latere poterat. Alii alibi nomen & ſtipendia meriti, magnis propoſitis præmiis, qvod ſcil. perſtrenuis Nutritoribus noſtris ſollenne eſt, huc fuêre adſciti, qvibus ſigillatim commemorandis ſi vel ipſorum laudes meo obſcurare præconio, vel vos ultra, qvam par eſt, detinere velim, mortalium ſim inſulſiſſimus. Qvæ cauſſa viciſſim eſt, qvod nec in præſentem auſim producere ſcenam pænè innumeros, qvi in noſtro Lyceo ad doctorum pedes & pulpita cùm divinæ pariter humanæq; ſapientiæ præclara jeciſſent fundamenta, ad gubernacula rerum poſtea conſtituti, emolumento ad omnem ætatem perennaturo, in ordine effulſerunt Eccleſiaſtico non minus atqve Civili. Et verò tum ex hoc eqvo Trojano, tum ex ſolius Norimbergæ popularibus, qvod profectò rarum & fortaſſis ſine exemplo, omnes prope celebriores noſtræ præſertim Eccleſiæ academiæ acceperunt, qvi profitendo publicè cathedras ornârunt ſuas, & ornant partim in hodiernum diem: qvos proinde, ne auram captare videar, jam propriis virtutibus emergentes, partimq; pridem literatorum præconiis evectos recenſere ſuperſedeo. Parvam eqvidem manum exterorum nonnulli noſtram credunt ſocietatem, qvibus tamen, ſi inſolentiùs obſtrepere velint

ſint nobis, jure liceat illud antiqui Sapientis reponere: *Veſter chorus major eſt, noſter autem meliùs concinit!* Et quid? Seculum vix elapſum eſt, atque in indice (matriculam vulgò nuncupant) civium, qui nomina noſtro dederunt ordini, legere licet tredecim millia, & inter hos celſiſſimâ oriundos proſapiâ Principes tres, Comites novem, Barones ſexaginta: quibus cùm publica res noſtra valdè arriſiſſet, dum ipſi eam ſingulari proſequerentur clementiâ & gratiâ, debito viciſſim officio & cultu eorum octo Magiſtratus ſceptra communibus ſuffragiis fuère collata. Ad quam præfecturam, ipſorum, ſi non fallimur, allecti fuiſſent plures, ni ſonticæ ipſos abſtinuiſſent cauſſæ, partimq; ſapienti conſilio maluiſſent diſcere parere, quàm imperare, antequam domi imperare inciperent.

Cæterùm de regia ſtudiorum viâ, quâ commilitones apud nos ductantur, verbum ampliùs facere non attinet. Non per cuniculos res noſtræ geruntur, in propatulo exſtant omnia, ſuperſtitum pariter & mortuorum teſtimonia implent domos, curias, theatra, urbes, regiones, præſtò ſunt hinc enata literaria monumenta in officinis ac bibliothecis totius pæne Europæ. Quot præter iſta paginas impleverunt, quarum pleræq; nunquam ſubivère prelum, hebdomadariæ in omnibus ſtudiis Diſputationes, Circulares ſollenni voce appellitant, quæ incredibili civium emolumento, citra qualescunq; tamen eorum impenſas, exemploq; noſtræ ſcholæ peculiari, nexu quaſi inſolubili, juxtà cum exercitationibus oratoriis menſtruis, inſtituuntur. Inter hæc ut venerabili Theologorum collegio major conciliaretur auctoritas, atque diſcentium hìc præcipuè loci faciendi profectus fervor incenderetur, ſapientiſſimo Magnifici Senatus indultu inde ab anno tertio octogeſimo ſuperioris ſeculi inolevit, quòd inaugurationes Candidatorum, qui ad Eccleſiaſticas functiones admoventur, tum in ditione ampliſſimæ Reipublicæ, tum, ſi fors hactenus tuliſſet, uti ſæpe tulit, à patronis aliunde commendati, hoc ſolo loco peractæ fuerint & ratæ factæ adeò uberrima in vinea Domini meſſe, ut, exacto vix ſeculo, ſeptem & quadraginta ſupra quingentos, catholico & apoſtolico ritu ſacroſancto muneri jam legantur initiati.

Quanquam verò animus in præſenti nobis non eſt, eorum, quæ

quæ per rectam annorum seriem probè secusve gesta hic sunt, contexere annales, priusquam vela contrahamus, non possumus non esse memores hoc loco turbarum, quas incredibili prope damno dedit scholæ huic obreptitia Photinianorum impietas, parumq; aberat, nî DEI providentia & solicita Patrum cura in tempore prospexisset, malumq; suffocâsset in herba, scriptis pestilentissimis clam palamq; sparsis in medio foro lictoris manu concrematis, quin maculam famæ nostræ inussisset indelebilem. Nam quæ filix nullo mitescere quibat aratro, ea runcanda erat penitus & ex radicibus exstirpanda, conquisitis severioribus mediis, ad quæ ægrè aliàs se adduci patitur Clementia Norica. Elapsum erat par studiosorum hæretico veneno infectorum, appulitq; Wittebergam: id cùm Reipublicæ variis acceptis teneretur beneficiis, ut in viam reduceretur, reducendum erat in patriam, & vi quidem haut usitatâ. Dici non potest, quàm id malè habuerit vesanæ catervæ tunc temporis hyperaspisten, famosum satis Valentinum Smalcium, colluviei Racoviensis ministrum. Qui denique cùm deceptos resipuisse advertisset, fremens quasi & frendens impuro ore ista eructabat verba: *Senatus Norimb., cujus prudentia hactenus alias Respublicas superare visa est, eò prolapsus est nuper etiam amari & præposteri zeli, ut in paucos quosdam studiosos, quibus DEVS id, quod nostræ Ecclesiæ hactenus profitentur, alto suo consilio revelârat, tam graviter animadverterit, ut nova papalis tyrannis eos invasisse meritò dici possit. Homines enim liberos, catenis ligatos, ex academiis satis remotis Norimbergam deduci curavit, & ibi in carceribus squalidissimis per non paucos menses conclusos, minis etiam carnificinæ propositis, tandem eò adegit, ut veritatem abnegarent & publicè etiam retractarent. O DEVS, ubinam gentium sumus? Hæccine fieri decet inter eos, qui verum Christi Evangelium præ aliis sibi revelatum gloriantur? En, in medio illorum, qui Antichristum deseruerunt, Antichristus regnat! Quis tandem hujus tyrannidis finis futurus est?* Hæc ille. Sed DEVS meliora! Neque enim displicuisse Ipsi justum ac sanctissimum hunc Senatus zelum, & quicquid porrò pro intemerata sacræ fidei veritate, Ecclesiæq; purioris incrementis exantlavit curæ ac laboris, ut reliqua, quæ Smalcio oggeri fortassis possent, omittamus, innumeris beneficiis, quibus hanc academiam ex eo usque tempore abun-

In præfat. refut. Orat. I. V. & I. P.

abunde cumulavit, luculentiſſimè probavit. Ac turbæ illæ quidem ſedatæ ſunt noſtro hoc ſeculo, circa luſtri quarti initium. Superioris autem ſeculi anno ſecundo & nonageſimo, menſe Octobri, *Franciſcus Puccius*, Italus ille Florentinus, qui ſe ſuis in ſcriptis vocat *Filidinum Dei & Chriſti ſervum*, huc venit Altdorfium, animoque decrevit ſecum, aliquot heic loci menſes commorari, ut amicitiam (quod quidem coram Magnifico id temporis Rectore Joh. Prætorio profitebatur) contrahere & converſari poſſet cum Dominis Profeſſoribus; fortaſſe tamen ut errores ſuos clam ſtudioſam inter juventutem diſſeminandi aucuparetur occaſionem. Verùm ſerio à Magiſtratu monitus eſt, præſertim cùm & ſolito Academiæ jurejurando obſtringi nollet, maturaret diſceſſionem; quam eodem adhuc fecit menſe. Adeò ſemper tum Illuſtri Senatui Norico tum Academico curæ fuit cuſtodienda Religionis ſinceritas.

Atque ut ex præſcripto, & ne veſtrâ abutamur benevolentiâ, finem faciamus dicendi, id ipſum tremendum, ſanctiſſimumq; & optimum maximumq; Numen, cui pietas noſtra & Muſa cordi eſt, ſuppliciter venerantes, ſuâ celeberrimæ ſcholæ huic, ejusq; Patronis, Gubernatoribus ac Civibus, his præſertim difficillimis temporibus, perenni adſit gratiâ, ut ne deſit unquam felicitatis aut ornamentorũ quicquam, quod altiùs provehere ejusdem incrementa & famam prorogare, imò pridem propalatam ſuo aſſerere tenori, & poſteritati, ſi quæ futura eſt, commendare queat. DEVS miſereatur noſtri & benedicat nobis:

lucere faciat vultum ſuum nobiſcum, Selah. Ad ſciendum in terra viam ſuam, in omnibus gentibus ſalutem ſuam. Confiteantur Tibi populi DEVS, confiteantur Tibi populi omnes ipſi: Terra noſtra det porrò germen ſuum, benedicat nobis DEVS, DEVS noſter, benedicat nobis DEVS, & metuant eum omnes fines terræ!



ORA-



ORATIO II
De
THEOLOGIS ALTDORFINIS.
PROGRAMMA.

QUemadmodum piè ac sapienter sapientissimus Siracides Ecclesiam sui temporis ad decantandas laudes Viris Illustribus beneq; meritis debitas inflammat: Laudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus in iis magnificentiâ suâ à seculo. Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia. *Cap. XLIV. Ita pium pariter ac sapiens nobis inculcat monitum Auctor Epistolæ ad Ebræos :* Memores estote τῶν ἡγεμένων, Ductorum *& Doctorum* vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitamini fidem, considerantes, qui fuerit exitus conversationis ipsorum. *Cap. XIII. 7. Et profectò æquum est & justum, si gratâ memoriâ, statuis, orationibus, carminibus ac similibus laudum generibus, prosequimur viros aliarum artium & linguarum peritos, ut imprimis sempiternæ commendemus gloriæ Viros de Ecclesia Christi optimè meritos, qui magistrum non tam habuerunt Tullium vel Aristotelem, quàm Spiritum Sanctum, qui & Deo in Ecclesia & Ecclesiæ in literis studuerunt, qui doctrina erudierunt, exemplo converterunt, precibus defenderunt ; quorum scientia tantò præstitit aliis, quantò æterna munda-*

 nis

nis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt. Proinde eximiam meretur laudem laudabile institutum Præstantisſimi & Doctiſſimi DN. JOHANNIS GEORGII MAIERI, *ex Marchionatu Offenbauensis, perindustrii Philosophiæ pariter ac Theologiæ Cultoris; qui pomeridianâ crastini primâ, loco rituque Academico verba facturus est de* THEOLOGIS ALTDORFINIS, *sive iis, qui hac in Universitate Norica jam inde ab ejus incunabulis spartam Professionis Theologicæ, quam nacti sunt, ornârunt. Atque horum sanè non fuisse paucos pietate insigni, eruditione non vulgari, singulari docendi dexteritate, excellenti vitæ sanctimonia præditos, scriptis deniq; per eruditum, quà patet, orbem celebratiſſimos, bibulis accipietis auribus. Fulserint olim inter eruditæ pietatis lumina, Augustinus à Posſidonio, Gregorius Neocæsariensis à Gregorio Nysseno, Cyprianus, Basilius, Athanasius à Nazianzeno, celebrati; efferant in cœlum laudibus Lycea alia Doctores suos Theologos, viros venerabiles, summam divinorum oraculorum scientiam cum incomparabili morum sanctitate conjungentes; de Nostratibus certè Theologis, non meis, sed Nazianzeni verbis de magno Athanasio olim prolatis, iisq; parùm hìc mutatis, confidenter pronunciare ausim, quòd illi alios adæquârint, ab aliis parvo intervallo superati fuerint, nonnullos etiam antecesserint. Quibus igitur licuerit aut libuerit auscultare recitantem Ornatiſſimum, quem dixi, Juvenem, illi præter soliti in bonas literas favoris gratiam, documentum etiam edere poterunt pietatis in Beatos tot Beatorum Virorum Manes, quorum in Ecclesiam Scholamque nostram promerita extiterunt plurima longeq; maxima. Quod ipsum de VOBIS mihi polliceor, VOSq; eo nomine, quâ debeo observantiâ, quâ posſum humanitate, rogo,* Magnifice DN. RECTOR, Perillustres & Generosiſſimi DNN. BARONES, Excellentiſſimi

PA-

PATRES ACADEMICI, Generis Doctrinæque Nobilitate Florentiſſimi DNN. STUDIOSI; *gratiæ hujus ac benevolentiæ veſtræ nunquam futurus immemor.*
Quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida eſt bonis.

MAGNUS DANIEL OMEIS. P. P.

ORATIO.

(Titt.)

OLim apud Romanos præcipuè, in Bibliothecis publicis ſtatuas & imagines Virorum doctorum poſitas fuiſſe tam notum eſt quàm quod notiſſimum. Hoc inſtitutum Aſinio Pollioni tribuunt Plinius & Iſidorus; quorum hic de eodem Pollione, *Primus*, inquit, *Romæ Bibliothecas publicavit græcas latinasq;, additis auctorum imaginibus.* Honos autem hic habitus eſt interdum vivis adhuc, quamvis perrarò, mortuis verò longè frequentiùs. Viventes namque comitatur invidia, quæ poſt fata obmuteſcit; ſecundum illud Martialis:

Eſſe quid hoc dicam, vivis quod fama negatur;
& ſua quod rarus tempora lector amat?
Hi ſunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
præferat antiquos ſemper ut illa novos.

Ita Plinius Secundus de Silio Italico in epiſtolis ſuis prædicat, quòd multum ubiq; librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum habuerit, Virgilii ante omnes, cujus natalem religioſiùs quàm ſuum celebrabat, Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire, ut templum, ſolebat. Qui mos uti laude non indignus, ita æternam nominis infamiam apud omnem poſteritatem promeruit Caligula, monſtrum hominis, qui non modò claril-

clarissimorum Virorum statuas & imagines deturbâsse, & è bibliothecis ejecisse, sed & de eorum scriptis, vel maximè Homeri, Virgilii & Titi Livii, abolendis cogitâsse scribitur. Nos meliora! Ac licet hodie non amplius in Bibliothecis statuæ erigantur virorum eruditorum omnium, laudes tamen eorum publicis in scriptis & orationibus decantare ac prædicare licet, utpote monumentis ære perennioribus. Lapides enim & saxa fragilia sunt & caduca, nec minùs quàm ipsi homines occidunt, desinuntque; memoriam verò & laudes eruditorum nulla unquam ex animis posterorum delere potest oblivio. Et verò mihi, cùm ex hoc ipso loco aliquid dicendum esset, mentem meam ista subiit cogitatio, nullo in argumenti genere meam commodiùs orationem versari posse, quàm si de tot tantorumque Theologorum laudibus, qui in Inclyto hoc Lyceo annis superioribus floruerunt, plerique etiam eorum in eo decesserunt, in medium quædam afferrem. Sed quemadmodum de pictore, sculptore, fictore (ut Plinii verba usurpare liceat) nisi artifex judicare, ita nisi sapiens non potest perspicere ac prædicare sapientem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in viris istis celebratissimis sic eminent & elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant & afficiant. Quod si non omnibus satisfacere suscepto negotio videbor, illi cogitent, eum quoque à reprehensione abesse, qui affectu pio testatur, nihil sibi amore & veneratione magnorum & de Ecclesia Christi meritissimorum Virorum sanctius esse ac dulcius, etiamsi affectum suum non reipsa & factis possit approbare. A Vobis igitur, Auditores ordinum omnium Honoratissimi! summopere contendo, ut oratiunculæ huic meæ, tanquam amœnissimæ animi peregrinationi benevolentiæ vestræ auram commodetis, gratiæq; vestræ serenitatem, favorisq; vela indulgeatis, quò feliciùs instituto meo persungi, & Doctorum ac Professorum Theologiæ, qui hoc in Lyceo nostro claruerunt, nomina laudesque gratâ brevitate recensere possim.

SEculi ſpatium jam circumactum eſt, ex quo Illuſtris Senatus Norimbergenſis, auctoritate RVDOLPHI II glorioſiſſimæ memoriæ, Auguſti, Pii, Felicis, fundamenta poſuit Lycei hujus: quod ſua ſub auſpicia divinitus ſortitum eſt & doctrinæ & vitæ laude oppidò conſpicuos Theologiæ Profeſſores. Horum primus erat M. JOHANNES PICCARTVS, Babebergenſis, ſeculi ſuperioris anno quadrageſimo quinto natus, quartoq; & octogeſimo, ſub finem Octobris denatus. Fuit primum Norimbergæ Diaconus Sebaldinus, qua in ſtatione filium progenuit *Michaëlem Piccartum*, Philoſophum illum excellentem, & immortale Athenæi hujus decus; poſtea à fundato hic Lyceo primus Paſtoris ac Theologiæ Profeſſoris munere egregiè perfunctus eſt. Alter erat GEORGIVS SIGELIVS, Philoſophiæ Magiſter, natus Norimbergæ A. C. 1552, & in numerum Profeſſorum Altdorfinorum cooptatus anno ſeptuageſimo octavo, die ſecundo Maji. Poſthæc Antiſtes Eccleſiæ confirmatus eſt anno octogeſimo quinto, die 4 Martii, præſentibus Hieronymo Paumgartnero, Bartholomæo Pœmero, Julio Geudero, Antonio Geudero, Johanne Welſero, Viris Nobiliſſimis. Hoc in Antiſtitis munere, ac Theologiæ ſimul profeſſione, viribus omnibus elaboravit, quò purioris doctrina fidei amplificaretur ac illuſtraretur. Inq; eam partem quam dederit operam, Hiſtoria Jeſu Chriſti ab eo edita plus ſatis edocet. Cæterùm anno ſeculi iſtius nonageſimo quarto ſceptra geſſit academica, prout Emblemata Altdorfina Panegyri decimâ octavâ id perhibent, & quadriennio pòſt vivendi finem fecit. Tertius erat M. GEORGIVS PFALERVS, Norimbergenſis, primus omnium, cui hac in Academia mitra imponebatur philoſophica, in actu primo ſollenni A. 1581 celebrato. Poſtea Theologiæ & Linguæ Sacræ Profeſſor, Eccleſiæque Diaconus deſignatus, è vita maturiùs abiit. Huc quippe ſe contulit anno ſuperioris ſeculi octogeſimo, die quinto Septembris, & quadriennio pòſt, die trigeſimo ejuſdem menſis, Deo Creatori ſuo animam reddidit. Neq; verò longiore premendus eſt ſilentio tam gente quàm mente Nobiliſſimus EDO HILDERICVS à VAREL, Friſius, Nobilis Jeverenſis, qui Wittebergæ Magiſter promotus

tus anno ſeculi ſuperioris ſexto & quinquageſimo, dein Jenæ Profeſſor Mathematum conſtitutus anno ſexageſimo quarto. Jena rediit Wittebergam anno ſeptimo & ſexageſimo; inde poſt annos quinque Magdeburgum venit, ibique egit Pædagogiarcham. Sanctæ poſtea Theologiæ Doctor Heidelbergæ creatus eſt, eamq; publicè docuit usq; ad annum octogeſimum, quo Athenas haſce Noricas ſalutavit, annoq; ſequente ſacræ profeſſionis initium fecit, primusque Rector annuus eſt declaratus. Quàm inſigni claruerit eruditione, non tantùm ipſi ſunt teſtimonio doctiſſimæ ejus ad Prophetas prælectiones, atq; Iſagoge Gemini Rhodii in doctrinam Sphæricam ab ipſo primùm græcè evulgata, additâ translatione ſuâ latinâ, quo nomine laudatur à Voſſio de Scientiis Mathematicis cap. XXXIII. §. 7. ſed & celeberrimi nominis Theologus, Balthaſar Müllerus, S. Theologiæ Doctor & Superintendens Altenburgenſis, Edonis noſtri in illuſtri Magdeburgenſium ſchola diſcipulus teſtatur idem, quando in dedicatione quadam ad totum Magdeburgenſis Archiepiſcopatus Capitulum memorabile hoc de Hilderico elogium reliquit; *Veſtro præterea Capitulo me obſtrictum eſſe fateor, nomine Illuſtris Scholæ veſtræ, in qua diſcedente Rectore Domino M. Dionyſio Dragendorſio, & Edone Vlderico Friſio, clariſſimis Viris, eruditione doctrinæ nemini cedentibus, & morum ac vitæ integritate præſtantiſſimis, ſesquiennium egi diſcipulum, ibiq; ſtudia mea excolui & fundamenta jeci.* Imò & iſtud indicio nobis eſt ſingularis ac reconditæ hoc in viro eruditionis, quòd, cùm A. 1585 Colloquium hic Altdorfii inſtitutum fuiſſet Præſide Doctore Joachimo Regio, cœptumq; tractari negotium de Peccato Originali Auſtriacum, in eo Hildericus noſter cum *M. Henrico Schmidelino*, Eccleſiaſta Norimbergenſi Sebaldino, in diſcutiendis & refellendis Flacianorum præſtigiis maſculè deſudaverit, *M. Mauritio Hellingio* & *Georgio Sigelio* in theſi conſcribenda ſeu veræ Eccleſiæ doctrina explicanda operam ſtudiumq; ponentibus. Cæterùm Edo noſter primæ ordinationi hic Altdorfii A. 1583, die ſecundo Februarii, Feſto Purificationis Mariæ, celebratæ, prævioq; examini adfuit, juxta cum *M. Mauritio Hellingio*, & *M. Laurentio Dürnhöfero*, primariis Antiſtitibus Norimbergenſibus, quorum uterque ordinationis ritu Wittebergæ viven-

vivente Philippo Melanchthone fuit initiatus. Cui ſollenni primæ ordinationis actui etiam interſuerunt Scholarchæ Magnifici, Hieronymus Paumgartnerus, Bartholomæus Pomerus, & Antonius Geuder ab Heroltzberg, Rectore academiæ Christophoro Johanne à Tſchernembl, Barone Auſtriaco, Prorectore Doctore Johanne Buſenreut, Jur. D. & Profeſſore Publico. Diem Hilderici ſupremum indicat Epitaphium ejus hoc modo conceptum: *Si DEVS eſt pro me, quis meus hoſtis erit? Anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo nono, duodecimo novo Maji, in Chriſto piè & placidè obiit Reverendus & Nobilis Vir, Edo Hildericus de Varel, Friſius Orientalis, Sacro-Sanctæ Theologiæ ac Linguarum Doctor & Profeſſor Altdorfl.* Claudo ſermonem de Edone inſtitutum ſequente Adriani Bajeri Epigrammate:

Edonem Hildricum Sophies Witeberga Magiſtrum,
Myrtea Doctorem Theologumq; creat.
In multis Sophien docet Euſebienq; Lyceis
Philoſophusq; catus, Theologusq; pius.

Poſt Hildericum alma noſtra Palæocome habuit S. Theoſophiæ Profeſſores M. GEORGIVM VOLKARTVM, qui A. 1585 Diaconus pariter ac Profeſſor Catecheſeos deſignatus eſt, & A. 1604 Ambergam abiit, ad docendum ibi verbum Domini; M. JOH. KILIANVM SPREMBERGERVM, octo per annos Eccleſiæ Altdorfinæ Paſtorem & S. Theol. Profeſſorem; M. JACOBVM JORDANVM, M. JOHANNEM DEVBELIVM; & qui ante tres hosce laudari debuiſſet, JACOBVM SCHOPPERVM, S. Theologiæ Doctorem ac Profeſſorem primarium, religioſiorem neſcio an doctiorem. Is antea oppido honorabilibus functus eſt officiis, videlicet Hornbaci in Palatinatu Bipontino profeſſione theologicâ; poſtea à Sereniſſimo Electore Palatino LVDOVICO Heidelbergam vocatus, Theologiæ itidem Profeſſor, Doctor, & Sapientiæ Inſpector declaratus eſt; præterea variis in religionis negotio obortis viciſſitudinibus, à Sereniſſimo Marchione Brandenburgenſi GEORGIO FRIDERICO Onoldum arceſſitus, ut ab aulicis eſſet concionibus. Quoniam verò Doctori noſtro vita & functio Academica magis arridebat, vocanti ſe huc Altdorfium Senatui Norico A. 1598

paruit lubentiſſimè, & ſpartam, quam nactus eſt, Profeſſoris Primarii, ornavit egregiè. Eum ſanè veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, amatorem conſtantiſſimum, verbi divini Doctorem atque Interpretem accuratum ac perſpicuum, inſuper & Philologum non è multis fuiſſe, monumenta literarum poſt ſe relicta ſatis ſuperq; teſtari poſſunt, tot videlicet piæ ac eruditæ Diſputationes theologicæ, Commentarius in Jonam, Tractatus de Arte Concionandi, Chorographia & Hiſtoria Nationis Germanicæ. Annum ejus natalem, patriam, tempus mortis, ex Epitaphio hoc Sacris ejusdem Manibus dicato colligere poteritis: *Domini Jacobi Schopperi piæ memoriæ, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctoris, & in Academia Altdorfina Profeſſoris Primarii, ibidemq; id temporis Magnifici Rectoris, corpus hoc in loco ſepultum eſt: Qui A. C. 1545, primo Novembris, Biberaci eſt natus, anno verò 1616, duodecimo Septembris, ætatis ſeptuageſimo primo, Altdorfi piè in Chriſto denatus, ſpe lætiſſimæ reſurrectionis.* Hoc amplius æquum eſt, juſtum eſt, in hoc quoque Altdorfinorum Theologorum Sacrario ut collocetur GEORGIVS KÖNIGIVS, Vir in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus & doctrina poſſunt. Prodiit is hoc in vitæ theatrum A. 1590, in urbe ſuperioris Palatinatus principe Amberga. Primâ ætate ſcholis Ratisbonæ & Solisbaci admotus, mirum & incredibile dictu eſt, quàm ingenii ſui felicitate cum Præceptorum induſtria certaverit, quàm Parentum vota & æmulos commilitonum auſus ſuperaverit, quanto etiam concitatæ induſtriæ ardore hùc Altdorfium miſſus, prælectionibus Virorum tum temporis celebratiſſimorum, Soneri, Piccarti, Queccii, Philoſophicis; Theologicis autem Doctoris Schopperi invigilaverit. Conſumto hic triennio Wittebergam abiit, daturus operam Theologis conſummatiſſimis Huttero, Balduino, Franzio, Forſtero, & linguarum orientalium callentiſſimo Laurentio Fabritio; de quorum adſpectu, alloquiis, inſtitutione, non minùs ſibi gratulabatur, quàm Alcibiades de Socrate, de Ariſtotele Alexander Magnus. Inde allectus famâ præclariſſimorum Theologorum, Reidenii, Grauери, Majoris, cum Witteberga Jenam commutavit, ut ibi non ſolùm ingenii culturam augeret, ſed & quas tam alibi quàm iſthic

eru-

eruditionis opes ſedulò collegerat, judiciis clarorum Virorum exponeret, pectusque muniret, ad capeſſendam provinciam publicam. Quam & invitantibus fatis anno ſeculi hujus decimo quarto hic loci impetravit facillimè, profeſſionem intelligo theologicam & functionem eccleſiaſticam. Vtramque ſingulari fide, labore, induſtria, ſuaviſſimaq; eloquentia ultra decennium cùm ornaſſet, Prudentiſſimi Scholarchæ Norici ſummos in Theologia honores petere ipſum juſſerunt; quibus & jure merito condecoratus eſt Marpurgi, die quarto Maji, anno 1626, ac decennio pòſt Bibliothecæ academicæ, quæ ſplendidorum legatorum id temporis acceſſionibus augebatur, præfectus primus eſt declaratus. Exprimi verbis non poteſt Doctoris hujus Suada nectare & ambroſia dulcior, ac peramabile reliqua in vita temperamentum, quô hilaritatem ſeveritate, ſeveritatem amore, humanitate gravitatem prudenter noverat miſcere. Exſtant inſuper & in manibus Theologorum verſantur ſcripta ab eo ſolidè elaborata, Vindiciæ Locorum Scripturæ Sacræ, Caſus Conſcientiæ, Commentarii in aliquot Sacri Codicis libros, Diſputationes etiam ac Conciones quamplurimæ. Æternitati enim & omni literatorum ordini ſcribere, conſilium Königio erat, non ſoli academiæ; cui tamen, ut & Eccleſiæ noſtræ, annos quadraginta eximio planè commodo erat & emolumento. Beatiſſimè tandem exſpiravit anno ætatis ſexageſimo quinto, ſeculi quarto quinquageſimo, eâ à Supremo Numine auctus felicitate, ut poſteritati ſuæ interfuerit, & Collegas viderit Generum *Theodoricum Hackſpanium*, Theologorum ac Philologorum Phœnicem, & filium *Georgium Matthiam*, Virum πολυμαθέστατον, & ob ſingularem eruditionem ac induſtriam celeberrimum, quem DEVS Athenæo huic Norico diu diuq; ſervet! Jam verò quis CHRISTIANI MATTHIÆ laudes animiq; dotes, infra quas diſertiſſimorum ſubſidit facundia, juſtâ commemoret prædicatione? Gente is erat Dithmarſus, ſub ævi ſuperioris finem vitâ donatus. Indoles in eo ab incunabulis aptiſſima ad maximarum diſciplinarum ſtudia eluxit, quibus pariter & peregrinationibus variis feliciter abſolutis, in celebri tandem hoc Noricorum Lyceo, digniſſimum virtute & doctrinâ ſuâ invenit præmium, publicam nimirum Theologiæ profeſſionem

supremis in ea facultate honoribus sociatam. Isthoc in munere cùm Virum se præstitisset, per celebriorem nominis sui famam ad suprema dignitatis Episcopalis sedilia pervenit, & à Potentissimo Danorum Rege, Sacræ Theosophiæ in Academia Sorana professioni, omniumque Ecclesiarum Dithmarsicarum Inspectioni præfectus est. At verò cùm invidiam quorundam & offensiones evitare non potuisset, relictâ patriâ, splendidissimoq; munere abdicato, in Fœderatum migravit Belgium, & Ecclesiæ Hagensis Pastorem ad ultimum usque vitæ halitum egit. Scripta Viri exstant bene multa, nostrâ laude longè majora; è quibus notiora sunt, Theatrum ejus Historicum Theoretico-practicum, Historia Alexandri Magni, Collegium Antiphotinianum, Liber de Norma & judice Controversiarum, Systemata Theologicum, Logicum, Ethicum, Politicum, Disputationum Ethicarum Collegia tria, Theologia typica, Metaphysica, & plura. Ut silentio jam involvam Manuscripta oppidò illustria, Biblia latina glossata, Theologiam naturalem, Lexicon theologicum, Philologiam sacram, Tractatum de Formulis cautè & sobriè loquendi in Theologicis, & alia, quæ noster sub manibus habuit, sed morte præventus, usibus publicis, eheu! consecrare non potuit. Nunc verò sequuntur aliquot Professores Theologi pariter & Diaconi, magna Ecclesiæ & Scholæ nostræ Lumina; quæ ob præclarum pietatis & doctrinæ splendorem, singularem quoque in concionando zelum, Altdorfio nostro invidit suumq; in sinum transposuit Illustris Norimberga. Eos inter numerandus est M. GEORGIVS RITTERVS, qui anno seculi hujus decimo quinto, die quarto decimo Octobris, Symmysta & Professor Theologiæ Publicus heic loci confirmatus est, post octennium verò Norimbergam vocatus ad spartam Diaconi in æde Laurentiana exornandam. Quale fatum itidem expertus est ejusdem tam in Diaconatu Altdorfino quàm Professione Catechetica successor, M. JOHANNES VNGERTVS, aliàs **Ungerrecht** dictus. *Ritterus* autem quantâ industriâ & dexteritate Professoris administraverit provinciam, comprobant luculenter tot egregiæ Disputationes ab ipso in lucem editæ, inter quas præcipuæ sunt: duodecim in primum Catecheseos Lutheranæ caput, Decalogum nempe, tredecim in Sym-

bolum

bolum Apoſtolicum, novem in Orationem Dominicam, quinq; de Baptiſmo, unaq; de Pædobaptiſmate, quatuor de Clavium Poteſtate, tot quoque de Sacramento Altaris, una inſuper de Purgatorio, alia de glorioſa ac miraculoſa Chriſti Triumfatoris noſtri Reſurrectione, præter cæteras, quæ in præſenti noſtris in manibus non verſantur. De JOHANNE autem SAUBERTO quid dicam? tam Altdorfii noſtri quàm Norimbergæ eximio planè ornamento, Theologo celebratiſſimo; qui unus aliquot antiquorum Patrum imaginem & indolem genuinam, os aureum nempe Chryſoſtomi, conſtantiam Athanaſii, ſubtilitatem pietatemq; Auguſtini, zelum igneum Ignatii, & venerandam Gregorii Nazianzeni gravitatem, expreſſit ad unguem. Patria ipſi contigit hæc ipſa literarum bonarum nutrix Altdorfium, ubi puer ſub Pulmajero, Gellero Mauritio, prima ſtudiorum poſuit tirocinia; ſub Sonero autem, Piccarto, Queccio, Prætorio, velut irrigua planta adolevit feliciter, ſcientiisq; altioribus ſtrenuè incubuit; poſtea Tubingæ, Gieſſæ & Jenæ tam privatim quàm publicè, docentibus æquè ac diſcentibus eruditionem minimè vulgarem in parata trium Linguarum principum & ἐγκυκλοπαιδεία artium peritia, exquiſitiſſimis approbavit ſpeciminibus. Et cùm majore quodam Numinis afflatu ad Theologiam, artium dominam, animum appuliſſet, & quantò divina humanis antiſtant, tantò ardentiùs operam ſuam iſti navâſſet, firmumq; pedem ejus in campo jam fixiſſet, anno ſeculi hujus decimo ſexto, duodecim Inclutæ Reipublicæ noſtræ Alumnis Inſpector datus, decimo octavo Diaconus & Theologiæ Profeſſor factus eſt; inde Norimbergam petitus, ubi anno vigeſimo ſecundo, vix dum ædis Egidianæ Miniſter conſtitutus, Marianæ Paſtor deſignatus, vigeſimo ſeptimo ædi Laurentianæ præfectus eſt; trigeſimo ſeptimo deniq; ad Divum Sebaldi ſupremi Antiſtitis faſtigium, communibus Procerum ſuffragiis plauſuq; populi conſcendit, tandemq; inter cœlites vivere cœpit ſecundo Novembris, A. 1646. Vivit tamen etiamnum apud nos in FILIO Maximè Reverendo & Excellentiſſimo, Paternam gloriam vel adæquante vel jam ſupergreſſo. Vivit etiam vivetq; ſemper illuſtribus in ſcriptis, quorum multitudo dignum laude Virum vetat mori. Edidit namq; præter Conciones &

quamplurima alia ſcripta Teutonica, Antismalcium, Prodromum Philologiæ Sacræ, Epitomen Examinis Philippi, Tomum quartum & quintum Epiſtolarum Philippicarum, Hiſtoriam Bibliothecæ Norimbergenſis, Innocentiam calculi & podagræ, Caſſandrum Evangelicum, Miracula Auguſtanæ Confeſſionis, & plura alia doctiſſimorum librorum monumenta. *Sauberto* in profeſſionis æque ac diaconatus munere hic ſucceſſit CORNELIVS MARCI, Norimbergæ A. 1594 natus. Quanta doctrinæ vis, quantus virtutum cumulus in pio hoc mitiſſimoq; exſtiterit Theologo, non facile eſt mente vel aſſequi, nedum exquiſito verborum apparatu exprimere ac declarare. Nempe enim á teneris egregiâ ingenii indole præditus in omnigenæ eruditionis diſciplinam incubuit, linguisq; & Philoſophiæ ſacra hic loci fecit choragis Prætorio, Piccarto, Schwentero, Theologiæ verò litavit Altdorfii ſub Schoppero & Konigio; Wittebergæ ſub Friderico Balduino, Franzio, Balthaſare Meiſnero, Nicolao Hunnio; Jenæ ſub Majore, Gerhardo, Himmelio, tam ſtrenuè quidem & exquiſitè, ut dignum eum exiſtimaverint Proceres Norici, cujus curæ alumnos ſuos heic primò committerent, poſt ad altiora pulpita eveherent, profeſſionem nempe Theologicam, quam exornavit maſculè, donec vocatus Norimbergam, ubi primò Paſtor ad Divum Mariæ, dein Antiſtes Laurentianus confirmatus, gregi dominico inſigni cum fructu præfuit & profuit concionibus mellifluis, ſcriptisq; piis & exquiſitis, è quibus haud poſtremum occupant locum Sermones, quos habuit in epiſtolam Judæ, typis expreſſi. Mortuus eſt die vigeſimo ſeptimo Julii A. 1646, vel maximo Norimbergæ totius luctu; ſi tamen fas eſt aut flere, aut omninò mortem vocare, quâ tam pii ac religioſi Theologi mortalitas magis finita quàm vita eſt. Sed & Tu nunc pauliſper è Superûm ſedibus mihi revocandus es, CRINESI CHISTOPHORE, qui anno ſeculi ſuperioris octogeſimo quarto in oppido Bohemiæ Schlaccowalda honeſtiſſimis prognatus es parentibus, dein proſpero ſtudiorum curſu id aſſecutus, ut ad ſummam multiplicis doctrinæ laudem, & munera perquam honorabilia perveneris. Etenim poſtquam Jenæ & Wittebergæ literis philoſophicis, linguis Orientalibus ac Theologiæ, maximâ curâ, operâ, diligentiâ incubui-

cubuisti, ab Illustri Barone Austriaco à Losenstein, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario Intimo, legitimè vocatus, munus Concionatoris Aulici in Arce Gschwendt sexennium obiisti, postea, ut crebræ sunt rerum humanarum vicissitudines, alii in superiore Austria Parochiæ præfuisti; & cùm fatalis quædam religionis mutatio illis in locis incideret, ab Amplissimis academiæ Altdorfinæ Curatoribus primùm extraordinarius, mox ordinarius Theologiæ Professor & Ecclesiæ Diaconus es designatus; quibus in muneribus assiduus ac fidelis divinorum arcanorum dispensator fuisti, studiosæq; non solùm juventuti, quà publicè quà privatim docendo, verùm etiam omni Reip. literariæ profuisti plurimùm scriptis selectissimis; quæ sunt, Gymnasium Syriacum sive Grammatica Syriaca, quam studiosus Wittebergæ, præfatione celeberrimi Senis Laurentii Fabritii commendatam, evulgâsti, Lexicon Syriacum, quod ibidem, primus in Germania, edidisti, Epistola Sancti Pauli ad Romanos linguâ Syriacâ, ex Testamento Syriaco Viennensi desumta, Exercitationes Ebraicæ, Analysis Novi Testamenti tabulis septem & viginti comprehensa, Gymnasmata theologica quinque, Concordantiæ Ebraicæ, Lingua Samaritana, Gymnasium Chaldaicum, Babel sive Discursus de Confusione linguarum. Quin & plura memorabilia ingenii tui monumenta produxisses, nisi DEUS Optimus Maximus finem maturiùs laboribus tuis imposuisset, anno videlicet ætatis tuæ quinto & quadragesimo seculi hujus vigesimo nono. Neque verò ingrato Te hoc loco præterire possum silentio, CHRISTOPHORE ALTHOFERE! Cui prima lucis usura obtigit vicino in oppido Hersbruccensi, die nono Novembris A. 1606. Quem Altdorfina nostra, Witteberga & Jena formârunt, erudierunt, non in studiis tantùm elegantioribus & Philosophiæ, sed quàm maximè Theologiæ, ad quam vel tacito instinctu, vel divino quodam afflatu propendebas, majoriq; contendebas nisu. Tu hac in academia Ecclesiæ Ministri & Doctoris Theologiæ munus tantâ doctrinæ, pietatis, sedulitatis laude per novennium obiisti, ut intra privatos scholæ hujus parietes contineri haudquaquam potuerit nominis tui celebritas, sed longè latèque dispersa salivam moverit Dresdæ, Brunswigæ, Jenæ, Vinariæ, ad se trahendi te tantum

Virum;

Virum; donec Sereniſſimi CHRISTIANI Marchionis Brandenburgenſis, glorioſæ memoriæ, tandem vicerat auctoritas, qui A. 1644 totius Marchionatus ſui Superioris Eccleſiarum inſpectionem & curam Tibi demandavit. Qua illuſtri in ſpecula per annos ſexdecim, & ad ultimum quidem vitæ ſpiritum, clariſſimos vigilantiæ & prudentiæ radios emiſiſti, & quoad negotiis maximis graviſſimisque Eccleſiæ & Reipublicæ es adhibitus, propoſita cunctis in medio quaſi palma, pæne omnes qui erant à conſiliis tam politicis quàm eccleſiaſticis, viciſti religione, conſtantia, fide, & tempeſtiva moderatione. Quin & ſcripta tua venerabuntur poſteri, quamdiu pietati & bonis literis ſuus conſtabit honos. Sunt verò illa, Anti-Becmannus, Abyſſus deſperationis pontificiæ, Speculator Anti-Calvinianus, Commentarii in epiſtolas ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philippenſes, Harmonia Evangeliſtarum emedullata, & plura. Præter hos, quos laudavi hactenus, habuit quoq; Altdorfina noſtra celebriores inter Theologos JOHANNEM WEINMANNUM, cui vivendi exordium dedit patria Swinfurtum ad Mœnum, die decimo quinto Septembris, anno ſeculi ſuperioris ultimo. Is quàm optimos in juventute nactus eſt Doctores, & Gieſſæ quidem Haſſorum in Phyſicis & Græcis, Johannem Steuberum Sanctæ Theologiæ poſtea Doctorem, in Logicis & Metaphyſicis Chriſtophorum Scheiblerum, in Ebraicis Chriſtophorum Helvicum; Jenæ verò Michaelem Wolfium, Danielem Stahlium, Wolfgangum Heiderum, atque in Theologicis Gerhardum & Himmelium; quorum Celeberrimorum Virorum in privatis pariter ac publicis ſcholis tantam aſſecutus eſt eruditionem, ut in noſtra deinde Altdorfina ſingulari non tantùm favore & amore Queccii, Schwenteri, Kobii, exceptus fuerit, ſed & poſtea ab Incluto Magiſtratu Norimbergenſi primò ad alumnorum inſpectionem, dein officium Diaconi & publicam Theologiæ profeſſionem, deniq; mortalitatem exuente Beato Doctore Konigio, ad ſummam Antiſtitis dignitatem evectus fuerit, & ſumtus ex ærario publico acceperit, quò anno ſeculi quinquageſimo ſexto Gieſſæ Theologiæ Doctor publicè renunciaretur. Vtramq; muneris ſui amplitudinem, admotis aratro manibus, auxit mirificè, non piis ſolùm concionibus, ſed & prælectionibus

onibus

onibus tum privatim tum publicè vel diligentiſſimè habitis, quibus Locos Philippi theologicos & varios Novi Teſtamenti libros eruditè ac perſpicuè illuſtravit, verùm & diſputationibus quamplurimis, ac eruditiſſimo Inſtitutionum Theologicarum libro paucis ante beatum obitum (qui ipſi anno ſeptuageſimo ſecundo ſeculi hujus obtigit) auctiùs tertia vice edito. Venio nunc eò, quò me & ordo & merita ducunt JOHANNIS FABRICII, Norimbergæ anno ſeculi decimo octavo nati, ibiq; in ſinu Muſarum & Gratiarum educati, curâ imprimis Johannis Gravii, Viri admirandæ in fingendis juvenum ingeniis & moribus prudentiæ; cujus monitis & præceptis probè munitus Jenam conceſſit, ibique Philoſophos acutiſſimos, Sthalium, Schlevogtum, Dilherrum, Zeiſoldum, Lipſiæ verò ac Wittebergæ Höpfnerum, Langium, Carpzovium, Röberum, Martinum, Lyſerum, Theologos, ſumma cum attentione audivit; poſtea quoque cœptam tum philoſophici tum theologici ſtudii telam heic Altdorfii retexere inſtituit ſub auſpiciis Brunonis, Nösſleri, Königii, Althoferi & Weinmanni. At ubi Academiam patriam cum vetere alumna Jenenſi commutare ſtatuerat, eandem hanc telam pertexere decrevit ductu Majoris, Himmelii, Glaſſii, Dilherri; nec non in illuſtri Julia Calixti & Horneji, tantâ felicitate, ut latere diu non potuerit Procerum Norimbergenſium aures animosque fama eruditionis & ἀκριβείας Fabricianæ. Proinde ab iis A. 1641 ad munus Diaconatus huc Altdorfium vocatus eſt, & biennio pòſt profeſſionis theologicæ provinciam nactus, Locos Theologicos eâ dexteritate & fide, eo concinno ordine, eâ ſtyli ſuavitate, ſecundum ductum Philippi Melanchthonis, adornavit, ut Primario Ordinis ſui Profeſſori & Doctori non dividiæ eſſet illos manus propriæ labore ſuum in uſum vindicare: nunc verò, multorum ex voto ac deſiderio, easdem Prælectiones Academicas Filius Excellentiſſimus publicæ commiſit luci. Poſt ſeptem verò annos alia omnia animo agitans, vocatus eſt Norimbergam à Magnifico Reipublicæ illius Magiſtratu ad paſcendum cœtum geminum, alterum in Mariano, alterum in Dominicanorum templo congregari ſolitum. Hoc in officio quantum curæ ac diligentiæ adhibuerit, quantâ præditus fuerit docendi facilitate & felici-

tate, quantâ in Deum pietate, erga omnes benignitate, manſuetudine, charitate, Norimberga omnis etiam nunc teſtabitur, neque debitas Viro laudes denegabunt exteri, quos vel conſiliis vel præclaris ſublevavit auxiliis. Et ſicut Veſpaſianus ajebat: Imperatorem ſtantem oportere mori; atque Ivellus, celebris in Anglia Epiſcopus: Epiſcopum debere concionantem mori; ita noſter media in concione, & conſpectu confertiſſimi fidelium cœtus ab ore ſuo pendentis, è ſtatione ſua, per apoplexiam, ad capeſſendum æternæ beatitatis præmium, ab Imperatore ſummo evocatus eſt, die ſexto & vigeſimo Aprilis anni nuperioris ſeptuageſimi ſexti, relicto non tantùm Filio Plurimum Reverendo, paternarum virtutum ex aſſe hærede, ſed & monumentis quibusdam, paucis illis quidem, verùm è quibus, tanquam ex ungue leonem, quis cognoſcat: videlicet Tractatu de Κακοζηλία Gentilium, diſputationis inſtar, Præſide B. Dilherro, Jenæ quondam defenſo; è quo ſcripto doctiſſimo, Doctiſſimus Vir Samuel Bochardus ingenuè profeſſus eſt ſe non pauca didiciſſe; Homiliis etiam nervosè ac ſolidè adornatis ad Auguſtanam Confeſſionem, hisque ſubjunctis notis eruditiſſimis; libello deniq;, qui inſcribitur Raphael, & uſui pietatis tùm domi, tum inter itinera excitandæ dicatus eſt. At video me longiùs progreſſum eſſe dicendo quàm initio conſtitueram. Rapuit & abduxit orationis curſum ſecundis quaſi ventis tam nobilium virorum eruditio, auctoritas, exiſtimatio. Ne tamen veſtrâ abutar benevolentiâ, quam liberaliter mihi conceſſiſtis, vela mea contraham, ubi modò de tribus adhuc breviter verba facere licuerit. Quos inter primus eſto THEODORICUS HACKSPANIUS, qui lucem hanc aſpexit Vinariæ anno ævi noſtri ſeptimo. Celeberrimum hunc & ex publico bono natum Virum ab ipſis propemodum incunabulis ſacræ Philologiæ ſtudium tantopere delectavit, ut intentâ curâ ac indefeſſo labore per vitam omnem Orientales tractaverit linguas, eamque ſibi paraverat doctrinam, quâ pauciſſimos æquales, vix quenquam ſuperiorem habere videretur. Sed & Jenæ Philoſophiæ pariter ac Theologiæ ſeptem circiter annos incubuit, inde Altdorfium ſe contulit, famâ ductus ejus, cujus poſtea veſtigia in profeſſione Linguarum Orientalium preſſit, Clariſſimi Schwenteri;

deni-

denique & Helmſtadium profectus, Georgio imprimis Calixto & Conrado Hornejo, Theologis ſummis, uſus eſt. Palæſtram verò Profeſſoriam apud nos, & primò quidem linguarum Orientalium, ingreſſus eſt anno ſeculi ſexto trigeſimo, Theologicam verò anno quinquageſimo quarto. In utraq; verè Virum ſe præſtitit, & ſingulari ingenio, induſtria, eruditiſſimaque facundia in docendo æquè ac diſputando facili effecit negotio, ut uno omnium ore fuerit deprædicatus. Et tantâ ſane linguæ Ebraicæ, Sacræ ſcilicet & Rabbinicæ, Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ peritia erat inſtructus, ut, qui nôrant illum propiùs, crederent, parem ipſi reperiri neminem. Vix docere linguas cœperat, ita ſecum cogitabat, vocem ad paucos dimanare, libros longè lateq; diffundi, proinde in animum induxit, ea publicis ſacrare commodis, quæ ſuo ſibi ingenio ac labore peperiſſet. Sed cùm pleræque officinæ typis carerent Rabbinicis & Arabicis, Nobiliſſimi cujusdam Literatorum Patroni Norimbergenſis, beati quippe Domini Jodoci Schmidmajeri ſumtibus, domeſticam adornavit typographiam orientalibus literis inſtructam, ad inſtar Gallorum & Belgarum quorundam, qui hoc ipſo doctrinæ genere rem adauxerunt literariam. Hoc igitur ſubſidio pretioſiſſimos ſuos theſauros publicum in uſum transtulit, quibus & Philologiæ & Theologiæ ſtudium illuſtravit atque evexit ut cum maximè. Sunt verò illi: Specimen Theologiæ Talmudicæ, Fides & leges Muhammedis, Liber Nizachon Rabbi Lipmanni, Sylloge plurimarum diſputationum Theologicarum & Philologicarum, Partes tres Notarum Philologico-theologicarum, Miſcellaneorum Sacrorum Libri duo, Lucubrationes Frankenthalenſes, Termini denique Diſtinctiones & Diviſiones Philoſophico-theologicæ à ſe ipſo collectæ, multis poſtea cum acceſſionibus à B. Dürrio editæ. Quin & non pauca manuſcripta reliquit opera interioris notæ, utpote Locos Theologicos, Theologiam Rabbinicam, Grammaticam Syriacam, Lexicon Syriacum, Peculium linguæ Rabbinicæ; hisq; plura vel conſcripſiſſet, vel evulgaſſet, niſi à graviſſimo & periculoſiſſimo affectu corruptus, perque totum quinquennium cum adverſa conflictatus fuiſſet valetudine, quam placidus ex hac vita ſecutus eſt exitus anno ætatis ſecundo & quinquageſimo,

 ſeculi

ſeculi quinquageſimo nono. Vivit tamen Hackſpanius ſuo ſuperſtes funeri, & poſtquam ſe terris docendo & ſcriptis exquiſitiſſimis ſatis commodavit, meritis quàm annis gravior debitæ ſe reſtituit æternitati. Alter eſto JOHANNES CONRADVS HEDENVS, Sondershuſæ natus die decimo ſeptimo Auguſti A. 1619. Hic per pueritiæ & adoleſcentiæ ſpatia, Jenæ cumprimis & Erfurdi, inſtitutione Virorum incomparabilium Majoris, Gerhardi, Himmelii, Zapfii, Meyfarti; dein feliciſſimis per Boruſſiam, Poloniam, Brabantiam, Hollandiam, Angliam, Galliam, Bohemiam itidem, Auſtriam & Vngariam, peregrinationibus, tantum ſibi comparavit eruditionis & in agendis rebus dexteritatis, ut merito ſuo primò à Sereniſſima Principe Palatina Hilpoltſteinenſi Concionator Aulicus, poſtea à Magnifico Reipublicæ Norimbergenſis Senatu, & menſe quidem Decembri anno ſeculi noſtri quinquageſimo quarto, Diaconus ac Theologiæ Profeſſor Publicus Altdorfinus, anno ſequente Oratoriæ quoque Profeſſor fuerit conſtitutus. Et erat revera Orator excellens in eccleſiaſtica pariter & academica cathedra, ac veluti Hercules, ſuaviſſimi oris facundia, quaſi catenulis quibusdam ſuſpenſam auditorum multitudinem ad ſe trahebat, ita quicquid pietatis cœleſtis bonitas, quicquid eruditionis induſtria & ingenii promtitudo ſuggeſſerat, vivida, gravia, jucunda fluebant omnia. Ob quam itidem melleam in ſacro præſertim ſuggeſtu [illegible] Eccleſiæ Lauffenſi Paſtor & Concionator præfec[illegible] ſeculi quinquageſimo ſeptimo, ibidemque poſt octen[illegible] mortuus eſt, ſucceſſorem apud nos in profeſſione Th[illegible]ologica nactus, cujus ſine lacrymis recordari vix ſuſtinemus, JOHANNEM CONRADVM DVRRIVM, Virum abundantem doctrinâ & incredibili quadam varietate rerum & copiâ. Patriam is habuit ſplendidam Norimbergam, natus anno ſeculi quinto & vigeſimo, ſexto Calendas Decembris; & in juventute ſupra laudati Johannis Gravii aliorumque Moderatorum, exemplis præceptisque ita maturè fingi cœperat, ut nihil niſi magnum ab eo fuerit expectandum. Jamque exquiſita artium ingenuarum ſupellectile inſtructus, in ampliſſimum hoc præſtantium Virorum ſeminarium ſe contulit, totus Philoſophorum ac Philologorum

excel-

excellentiſſimorum ſcitis deditus atque intentus, Jacobi nimirum Brunonis, Tydæi, Trewii, Hackſpanii, Ruperti; Theologiæ verò navavit operam hic locorum ſub auſpiciis Konigii, Weinmanni, Fabricii. Poſthæc utraque propagavit ſtudia in alma Salana, præſidiis Stahlii, Schlevogti, Zeiſoldi, Majoris, Muſæi; Athenis ad Elmum, Calixti Patris, Horneji, Cellarii, Titii, Conringii, Scheurlii, Schraderi, Feldeni, at quantorum Virorum! Et cùm ipſe jam plena ingenii vela explicare, atque uberrimos eruditionis ſuæ theſauros recludere occiperet, credebatur ipſi à Perſtrenuis Vniverſitatis hujus Patronis primum inſpectio alumnorum, dein anno ſeculi quarto quinquageſimo publica Ethices, anno ſequente Poëſeos, anno quinquageſimo & ſeptimo Theologiæ Profeſſio. Has functiones omnes quâ fide, curâ, ſollicitudine, quanto rei literariæ incremento, quantâ Vniverſitatis noſtræ gloriâ & celebritate ſuſtinuerit, uberrima nunc dicendi copia foret atque occaſio, niſi celebratiſſima per eruditum orbem fama, ſcriptis plurimis, iisque cedro dignis confirmata, officium hoc noſtrum dudum antevertiſſet; inter quæ, præter innumeras diſputationes tam philoſophicas quàm theologicas, hic laudari merentur Notæ in Iſagogen Piccarti, Inſtitutiones morales, Ethica Paradigmatica, Theologia moralis, diſſertationes de Everſione Chriſtianiſmi per Hypotheſes & dogmata Socinianorum, Animadverſiones in Libros Normales. Quid? quod ſcripta plura doctiſſima intercepta ſunt morte ejus, quam obiit ante quadriennium magno cum Vniverſitatis & Reipublicæ literariæ luctu ac deſiderio.

Accepiſtis, Auditores omnium ordinum Honoratiſſimi! Divinæ ſapientiæ aſſertorum in hoc lyceo Doctorumque præclara nomina, quæ aliorum aliis in locis ad æternitatem præconia meritis ſuis poſſunt æquare, partim etiam vincere. Quorum & privata, ſi modo nuncu-

panda ita ſint, ab univerſo per diſtincta temporum ſpatia petita Collegio, cui ſemper aliquis more academico præfuit publicâ Magiſtratus auctoritate ac ſpeciali ſigillo inſignitus Decanus, ad graves conſcientiæ caſus aliaque ſacri fori ac argumenti quæſita exivêre, ac cum applauſu excepta ſunt à Magnatibus, Rebuspublicis, quin & conſilii indigis privatis hominibus, conſilia, reſponſa, judicia, cenſuræ, deciſiones. Supereſt, ut, cùm pudor vetet, ipſique haud indubiè prohibeant, præſentium (& faxit DEVS ipſos longùm ſuperſtites!) Excellentiſſimorum Theologorum injicere mentionem, ipſosque in os, quod ajunt, laudare, hoc demum ſeriò adjiciam Votum, Incluto Ordini quibuscunque hactenus ornamentis polluit, quicquam eorum ne deſit, & quæ defuêre fortaſſis, Θεοῦ διδόντος, adjiciantur, ſicq; altiùs atq; altiùs ſemper exſplendeſcat is,

&

Creſcat occulto velut arbor ævo!

Ora-

ORATIO III
De
JVRECONSVLTIS ALTDORFINIS.
PROGRAMMA.

SI Berythum urbem Phœniciæ florentissimam celeberrimis olim Jurisperitis, Dorotheo, Anatolio, Gregorio Pontico, aliisq; affluentem, Imperator Justinianus in Proœmio Digestorum pulcerrimam civitatem & Legum Nutricem *meritò censet appellari; si Bononia quoque mater studiorum &* Legum Nutrix *est appellata; quoniam (teste Azone) legalium studiorum principatum ac veluti Monarchiam semper tenuit; si Academia Patavina ob plurimos, qui in illa docuerunt, eosq; Clarissimos Juris Professores, à quibusdam* Corona Jurisprudentiæ, *& à Jasone, totius Italiæ celeberrima Academia, atq; altera veluti Areopagus Atheniensis, est nuncupata; quidni Altdorfina hæc nostra Universitas, ex eadem ratione dici poterit Legum Nutrix, Corona Jurisprudentiæ, Themidis Sacrarium, Templum Justitiæ, ac celebratissima Jurisperitorum schola? In hac enim plus quam manifestum est semper floruisse Excellentissimos Juris Professores atq; illustrissima Astrææ Lumina, ob quorum fulgorem ista inter reliquas Germaniæ Academias exsplenduit*, velut inter ignes Luna minores. *Scævolæ, Sulpitii, Papiniani, Vlpiani, Celsi, Caji, Bartoli, Baldi, Fulgosi, Azones, Jasones, vetera sunt nomina, quibus plurimum debet Regina Jurisprudentia. In hac Noricorum Altdorfina Freigii, Wesenbecii, Giphanii, Donelli, Gentiles, Rittershusii, Dinneri, Vngepaueri, Ludwelli, nostra sunt nomina, incomparabiles JCti, qui Scholæ & Reipubl. tum*

Noricæ

Noricæ tum Literariæ maximo fuerunt præsidio & ornamento. Quorum etsi Virtuti atq; Eruditioni nulla par inveniri possit oratio, constituit tamen Vir-Juvenis ad exemplum Virtutis & Doctrinæ omnemq; elegantiam natus DN. JOHANNES CONRADUS PIELENHUBER, *Altdorfinus, Philosophiæ & Jurium Cultor diligentissimus, affinis meus per mihi charus, tot tantorumq; Virorum laudes propè jam senescentes ab oblivione hominum atq; silentio, quantum in se est, vindicare; & orationem conscripsit de* SPLENDIDISSIMIS JURISPRUDENTIÆ LUMINIBUS IN UNIVERSITATE ALTDORFINA, *concursu & attentione omnium politioris literaturæ amantium, ut ego quidem censeo, non indignam; eamq; recitabit pomeridiana crastini prima, loco sollenni. Si igitur tot præclarissima præclarissimorum Jurisprudentum de Lyceo merita, sive laudabilis ipsius Oratoris in sanctissimos illorum Manes pietas curæ vobis cordiq; est*, Magnifice DN. RECTOR, Perillustris ac Generosissime DN. BARO, Excellentissimi PATRES ACADEMICI, Nobilissima DNN. STUDIOSORUM CORONA, *venite quæso & benevolam exhibete audientiam; ita quàm possum observantissimè studiosissimeq; Vos oro, meamq; & oratoris gratiam pro affectu hoc singulari nunquam intermorituram sanctè spondeo. Quod superest, DEUM summum omnium Scholarum, Virtutum & Sapientiæ officinarum, Præsidem ac Rectorem voce publica obtestamur, ut Altdorfinæ hujus Universitatis fata, tempora, fortunas benignè in perpetuum moderetur, omnesq; in ea etiamnum docentes florentesq; divini & humani Juris Sacerdotes, aliarumq; bonarum artium Doctores clementissimè servet ac tueatur!*

MAGNUS DANIEL OMEIS. P.P.

ORA-

ORATIO.

(Titt.)

DE Jureconſultis Altdorfinis, quibus pares vix ulla Germanicarum Vniverſitatum vidit aluitq;, mihi verba nunc facturo, haud inconveniens fore quis exiſtimaverit, Exordii loco, de ipſa Academia hac celeberrima, utpote tantorum Virorum ſede ac domicilio paucis præludere, ad inſtar Periclis illius Athenienſis, qui in funebri oratione ſua apud Thucydidem, priusquam ſingulorum, qui divino quaſi amoris erga patrios Lares œſtro perciti capita ſua hoſti objicere, ſuumq; ſanguinem profundere non dubitaverunt, civium encomia enumeret, de ſplendidiſſima Athenarum urbe, tanquam communi eorum patria pauca quædam elegantiſſimè præmittit, & formam Reipublicæ, aliaq; Civitatis Lumina & Numina majorem in modum commendat. Verùm enim verò cum è celebri hoc loco non ita pridem omnia, certè potiora, quæ de Inclyta hac noſtra Vniverſitate memoratu, omnibusq; laudum encomiis digniſſima afferri potuerunt, ab Amico quodam ſingulari ſint recenſita; ideoq; ego, hac in re Periclis veſtigia premendo, poſt Homerum Iliada ſcribere actumq; agere viderer: quin potiùs more Areopagitarum ἄνευ προοιμίου, pace veſtra, *Domini* & *Auditores*, ad rem ipſam me accingam; hujusq; Orationis meæ, occaſione duplicis, quem Altdorfina noſtra vidit, Natalis, duplicem conſtituam partem, & quæ Illuſtriora Jurisprudentiæ Lumina, tum ſuperiore jam ſeculo, tum hoc noſtro, ſummo cum ſplendore in illa enituerint, producam in medium, eo quidem ordine, ut, quantum è monumentis, quæ conſulere mihi licuit, erui potuit, de cujusq; nativitate, patria, præceptoribus, laudabili Profeſſionis Juridicæ functione, ſcriptis inſignioribus, abitu ex Academia hac, ipſaq; vita ac ſepultura, grata brevitate ſim peroraturus: cætera inſtituto noſtro vel parum vel nihil ſervientia, iis relinquens, qui inſigni curâ atque induſtriâ tradunt omnem vitæ ſeriem Virorum Eruditorum. Quanquam verò magnopere ſit verendum, ne, ſi minùs fortaſſe ad cujusvis palatum extitura ſit oratio mea, cùm ego is ſim, qui

 ſermo-

ſermone meo obſcurare quàm illuſtrare faciliùs Summorum Virorum gloriam poſſum, ſingulique, de quorum laudibus dicere mihi eſt conſtitutum, ſingulas orationes jure quodam ſuo poſtulare videantur, non ſine pudore & dedecore audire fortè cogar Plautinum illud: *Strenuiori deterior ſi prædicat ſuas laudes, de illius ore fiunt ſordidæ.* Attamen cùm apud illos mihi ſermonem eſſe ſatis meminerim, qui eâ pollent ſapientiâ & prudentiâ, ut ſibimet ipſis poſſint explicare, quæ Oratoris tenuitas tractationis plenitudine asſequi non audet; eâ gratiâ & charitate erga defunctos, ut memoriam eorum, quos ſtudiorum ex parte Doctores Ductoresq; habuerunt, ob ſingularia erga Rempublicam Literariam merita à ſqualido oblivionis ſitu vindicari ſponte & ultrò cupiant; eâ deniq; humanitate ac benevolentiâ, ut hoc perorandi onere, quod ſemel ſuſcepi, tantùm non oppresſum me aliqua ex parte erigere magis ſtatuant, quàm ſub illa mole rerum fatigatum ſuccumbere patiantur: ideo rem ipſam nunc tandem eò alacriùs aggredior, Vosq;, Auditores Ordinum omnium Honoratiſſimi, eâ, quâ debeo, animi ſubmiſſione oro rogoq;, ut ingenii mei tenuitatem veſtro favore & benevolentiâ, inopiam dicendi veſtris ſtudiis, rei deniq; magnitudinem veſtrâ attentione ac ſilentiô ſublevare non dedignemini.

INter illos autem, qui circa tempora primi, munificentiâ atque auctoritate glorioſiſſimæ memoriæ Imperatoris RUDOLPHI II. celebrati, Natalis (erat is ipſum Jacobi Feſtum, nempe XXV. Jul. A. C. 1580.) in almo hoc Lyceo non ut hoſpites aut ἀσύμβολοι vixerunt, verùm Scholæ & Reip. Noricæ maximo fuerunt ornamento atque præſidio, primum jure quodam ſuo locum ſibi vindicat JOHANNES THOMAS FREIGIUS, Philoſophus ac JCtus ille celeberrimus. Hunc tantum talemque Virum benigniſſimè nobis indulſit principale illud in Brisgojenſi provincia oppidum Friburgum. Præceptores, ſub quorum ductu & moderamine tam pretioſa adolevit planta, habuit Udalricum Zaſium, Henricum Glareanum Friburgi, & in Galliis Petrum Ramum, cujus poſtremi virtutem & exactam eruditionem (erat enim Rami ſectator ſtrenuus) poſt fata hoc ornavit elogio:

Invictus Rame es, nam bis duo pectora gestas,
Socratis, Euclidis, Tullii, Aristotelis:
Arte es Aristoteles, methodo Plato, Tullius ore,
Ingenio Euclides; Rame quid ulterius?

Principio Friburgi docuit, deinde Basileæ, donec, mortuo Valentino Erythræo, ab Inclyto Norimbergensi Senatu ad Scholæ Rectoratum Anno 1575. suasore Hieronymo Wolffio vocatus, & Rector Lycei hujus publice renunciatus est à Philippo Camerario, JCto & Reipubl. Norimbergensis Consiliario, in præsentia trium DNN. Scholarcharum, Bilibaldi Schlüsselfelderi, Philippi Geuderi, & Hieronymi Paumgärtneri, festô Divo Andreæ sacrô anni sequentis septuagesimi sexti. Hoc Rectoratus pariter & Professionis munus quanta sedulitate & fidelitate gesserit, quanta facilitate Philosophiam enucleaverit, quanta eloquentia ac prudentia Leges intricatas explicaverit, contortos caussarum laqueos solverit, controversias dijudicaverit, & Auditores ejus verbis exprimere non potuerunt, & Philologicæ, Philosophicæ ac Juridicæ, quæ ab ipso luci publicæ sunt commissæ lucubrationes, satis superq; loquuntur: quarum insigniores sunt Quæstiones Logicæ, Ethicæ, Politicæ, Physicæ, Geometricæ & Stereometricæ, Quæstiones Justinianeæ, Logica JCtorum, Partitiones Juris, Methodica Actionis Juris repetitio, ejusdemq; Zasius, hoc est, Commentarius in Pandectas, olim ab Vdalrico Zasio diffuse tractatus idemq; multis Apodicticis auctus. Functus autem est Rectoris & Professoris munere hic loci per sexennium, annoque secundo & octogesimo Basileam abiit, ibidemque pestis contagione, quæ tunc vitiaverat urbem, & ei liberos tres sustulerat, ipse etiam infectus, crebris ad DEVM gemitibus missis, intra quadraginta horas à conceptæ luis sensu, ad æterna beatorum gaudia, XVII. Kalend. Febr. anno sequente octogesimo tertio, migravit. Post *Freigium* habuit Academia nostra Jurisperitos Clarissimos, quorum egregiam doctrinam fidemq; & industriam plurimi magno cum emolumento sunt experti: D. JOHANNEM BUSEREIT, natum anno octavo & quadragesimo seculi superioris, præfectum functioni Professoriæ ipso priore Academiæ Natali, tandem Noribergam profectum, ibidemq; Amplissimo Ordini Consiliariorum adscriptum, decimo deniq; nostri hujus seculi ibi denatum; D. MATTHIAM INDENIUM, qui scripsit de Acti-

 one

one Hypothecaria: & PETRVM WESENBECIVM, Petri Filium, Matthæi agnatum, Antverpiæ, quinto Maji, anno quadragesimo sexto supra millesimum quingentesimum, hanc in lucem editum: qui deinde vir factus in Palæocome nostra præclarum egit Juris Professorem; inde Coburgum se contulit, ibidemq; rebus humanis exemtus est mense Septembri, Anno à Partu Virgineo millesimo sexcentesimo tertio, ætatis septimo & quinquagesimo, relictis aliquot egregiis ingenii monumentis. Et verò de tribus hisce prolixiùs disseruissem ac lubens, nisi orationem hanc meam ad se vocaret & absorberet penè JCtus, Philosophus & Philologus neque silendus, neque dicendus sine cura. Est is OBERTVS GIPHANIVS Buranus Geldriæ, natus anno seculi superioris quarto & trigesimo. Hic in juventutis suæ flore Luca Fruterio, Jano Lernutio, Janoq; Douza Seniore, Lutetiæ in Galliis usus est familiarissimè; deinde Argentorati Philosophiam, & postea heic Altdorfii & Ingolstadii Jurisprudentiam summa cum laude est professus; tandem in aulam Imperatoris vocatus & Consiliarii Cæsarei ornatus titulo, obiit Pragæ anno seculi hujus nono, septuagenario major. Scripta ejus elucubratissima, hodieq; suo, hoc est, æstimatissimo, sunt in pretio, nec interibunt nisi cum Auctoris nomine, nempe quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiserit; Commentarios puto in Ethicen & Politicen Aristotelis, Collectanea & Indicem in Lucretium, Observationes Linguæ Latinæ, Commentationes in Institutiones Juris, Antinomias Juris Civilis ac Feudalis, Tractatum de Renunciationibus, Oeconomiam Juris, Notas in corpus Juris Civilis, in aliquos Digest. & Cod. titulos lectiones Altdorfinas, librosq; plures, in quibus ingentis viri effigiem meliùs expressam contemplari licet, quàm penicillo Apellis, aut cælo Lysippi. Sed nec Te longiore præterire possum silentio, HVGO DONELLE, Te, Clarissime (quo nomine à summo illo Historico Thuano ornaris) Juris Civilis interpres; in TE quid primum, quid secundum admirer, nescio. Primam hujus lucis usuram accepisti in urbe famigerabili apud Burgundiones Gallici nominis, quam vernacula lingua Chalon, Latini Cabillonum appellant, A. 1527; adeoq; Gallicanâ fuisti origine, quæ, ut tibi vitæ, ita secuturæ gloriæ initium fuit. Adhuc enim decantatur, & omnibus laudum præconiis ad cœlum usq; extollitur admiranda

illa

illa Gallorum & ſtupenda poſteris induſtria, quam ad illuſtrandum Jus Civile, cùm illud in Italia, Germanorum hominum ope, poſt aliquot ſeculorum decurſus, quibus delituerat, denuò è tenebris ſituq; emergeret, ſtrenuè contulerunt: unde facilè apud Italos pulcherrima illa cognomina *Acutorum* & *Subtilium*, ſibi merebantur, ac deinceps velut hereditaria poſteris ſuis relinquebant. Hanc laudem, hanc famam & admirationem, hanc nominis gloriam à majoribus acceptam, incomparabili tua divinaq; ingenii ſublimitate æquâſti non ſolùm, ſed longè ampliorem, longè clariorem, longè illuſtriorem reddidiſti, imò penitus ſuperaſti. Huic naturali tuo ingenio acceſſit & illud, quòd Te ſe dignum diſcipulum Viri in Jurisprudentia tum temporis celebratiſſimi inſtruxerint, Toloſæ nimirum Johannes Coraſius, Arnoldus Ferrerius; Biturigibus, Juris Civilis Clariſſima illa Lumina, Equinarius Baro, Franciſcus Duarenus, Hottomannus & Cujacius: at quanta nomina! Quos excellentiſſimos Viros, præcipuè verò ingens illud Jurisprudentiæ decus, Duarenum, eximia tua indole, inaudita eruditione & feliciſſima memoria ita ſtupere feciſti, ut non de homine ampliùs, ſed de novo aliquo portento fuerit locutus, & indies ſibi te majoribus officiis devinciendum exiſtimaverit: ſiquidem brevi etiam factum, ut dignus judicareris, cui ipſe utriusque Juris publicè inter- *An. 1551.*
pretandi facultatem tribueret. Hinc nulla interpoſita mora ſingulare tuum ingenium, ardorq; mentis, tanquam flamma quædam aut fax publica è cœlo in varia loca delapſa, Jurisprudentiam ſic illuſtravit, ut ſi ipſa loqui poſſit, non certiùs aut copioſiùs, aut majore cum dignitate & fructu explicatura videatur ſenſus ſuos, quàm à te fuerit explicata. Teſtis eſt Academia Biturigenſis, ubi communi omnium ſuffragio in ampliſſimum Anteceſſorum Collegium cooptatus, Jus Civile publico ſtipendio ſummaq; ingenii gloria, etiam adoleſcens, quippe qui vigeſimum quartum annum nondum attigeras, profiteri cœpiſti. Teſtis eſt Academia Heidelbergenſis, in quam, ſtrage Lanienæ Pariſienſis territus, te recepiſti; ubi aliquot annis principem Jus Civile interpretandi provinciam tenuiſti, &, quod proprium eſt ſapientiæ, bona ſua non in ſinu clauſa ac conſtructa habere, ſed in alios etiam diffundere, omnia, quæ à tot conſummatiſſimis JCtis hauſeras, ad communem omnium ſtudioſorum utilitatem

magna cum æquitatis prudentiæq; commendatione in medium attulisti. Testis est florentissima illa, quæ tum temporis fundabatur, Academia Leidensis, ad quam ornandam & quasi exstruendam unà cum Justo Lipsio, illo inimitabilis, & ne tentandæ aliis eloquentiæ Viro, statim fueras vocatus; quæ laudatissima Academia ingenti tua & celeberrimi hujus viri fama atque auspiciis, confluente undiq; ex omnibus oris juventute, sic crevit & adolevit, ut prudentissimi illius Lacedæmoniorum Regis Agesilai effati veritas ipso rarissimo vestro exemplo satis superq; corroborata videretur, nimirum *non loca viris, sed viros locis honorem ac dignitatem conciliare*. Testis deniq; est ipsa nostra Altdorfina, quam honoribus & beneficiis ab Inclyto Norimbergensium Senatu in te collatis incitatus postremam tibi sedem elegisti, eamq; sic ornâsti, ut brevissimo tempore celebritate nominis tui inter vetustissimas Germaniæ Academias recens ipsa assurgeret. Trita & vetus vox est: *Ubi Imperator, ibi & Romam esse*. Non invita Minerva aut refragante vero illam huc quoq; trahere possum, si dixero: Ubi Tu DONELLE vixisti, eodem in loco simul Jurisprudentia celebritasq; versata est. Gratulatione igitur prosequenda mihi videtur Altdorfina nostra de Te; idq; eò magis, quòd, etsi adspirârint ex aliis longiùs dissitis oris melioris etiam fortunæ Favonii, portaturi te in remotiores Serenissimorum Principum aulas, nostram tamen Academiam omnibus aliis exerendæ stupendæ virtutis ac eruditionis tuæ occasionibus præferre potiùs, quàm eam deserere, summosq; literarum Patronos Norimbergenses offendere volueris. Sed vixisti, DONELLE, & tibi in hoc ipso oppido anno superioris seculi nonagesimo primo, ætatis tuæ quarto & sexagesimo placidissimè defuncto, Scholarchæ Magnifici monumentum in omne ævum duraturum, publicè in templo nostro erigendum curaverunt. Monumentum illud æri incisum & hisce verbis conceptum etiam nunc conspicitur:

D. O. M. S.

HUGO DONELLUS HEDUUS, NULLI JCTORUM NOSTRI SECULI SECUNDUS, IN GALLIIS INITIO, MOX INDE CIVILI BELLO FLAGRANTE SECEDERE COACTUS, EIDELBERGÆ, DEIN LUGDUNI

DVNI BATAVORVM, DENIQ; ALTORFII, MAGNA CVM ADMIRATIONE OMNIVM ET CONCVRSV EXTERORVM, JVRA FACVNDO ORE DOCVIT, OBQVE PIETATEM, CANDOREM, ET HVMANITATEM DEO ET HOMINIBVS ÆQVE CHARVS, SENIO TANDEM CONFECTVS, VITÆ ET MOLESTIARVM SATVR, PIE ET PLACIDE ANIMAM CREATORI REDDIDIT, ANNO REP. SAL. HVM. M. D. XCI. MENSE MAIO. ÆTATIS SVÆ ANNO LXIIII. CVI BENE MERITO DE ACADEM. ALTORFINA SCHOLARCHÆ PERENNIS MEMORIÆ ERGO H. M. P. C.

Poſitum autem hoc ipſum fuit, non quò magis innoteſceres, qui celebritatem atque gloriam ubique jam diffuderas; ſed ut præclariſſima tua merita nunquam intermoritura tenerentur memoria, & videret ſecutura poſteritas, quantum noſtra poſt fata tibi debeat Altdorfina. Vivis, vivesq; & hoc & tot aliis ingenii tui monumentis, inter quæ haud poſtrema ſunt illa, quæ reliquiſti de Actionibus, ac de Pignoribus & Hypothecis; ut ſileam Commentarios illos de Jure Civili, quibus nihil Reipublicæ literariæ, adeoq; communibus omnium utilitatibus accommodatius, nihil perfectius ab ullo homine inveniri potuit; ſentiente ita, Tibi qui vivo vivus omni affectu erat conjunctiſſimus, SCIPIONE GENTILI, Viro, ob cujus nomen, quod omnibus tam Germanorum quàm exterorum hominum Academiis ſacrum & immortale eſt, adhuc criſtas erigit noſtra Altdorfina: ad quem pleno nunc etiam curſu mea contendit oratio. Tanto huic Viro patria exſtitit Caſtellum Geneſii Agri-Piceni ſeu Marchiæ Anconitanæ, ubi anno ſalutis per Chriſtum partæ 1563 primum hauſit ſpiritum, ex antiquiſſima Gentilium Ruſſorum proſapia oriundus. Adoleſcens Patrem Matthæum & Fratrem Albericum, magnum illud Jurisprudentiæ decus, ſolo pietatis amore, quô nullo non tempore vehementiſſimè flagrabat, ex Italia patria in Germaniam ſecutus, Tubingæ Græcis literis ſe tradidit ſub Martino Cruſio, viro optimo ac eruditiſſimo, quem ſemper ut Præceptorem eſt veneratus. Iis igitur artibus, quibus ingenia ad altiorum ſtudiorum cultum excitantur,

probè

probè instructus, profectus est Lugdunum Batavorum, tanquam ad omnium bonarum artium mercatum, ubi se divina quasi designati virgula suggerebant Viri, qui per id tempus Jurisprudentiæ & Philosophiæ Antistites habebantur, modò laudatus Hugo Donellus & Justus Lipsius. Ad horum aliorumque, quibus isto tempore famam è seculo in omnem æternitatem duraturam sibi excitavit ista Vniversitas, auctoritatem ductumq; se totum applicuit, tantumq; apud eos profecit, ut paulò post, interposita Donelli commendatione, hoc in Athenæo initio Institutionum interpretandarum professionem acceperit, mox Pandectarum Professor constitutus, tandem Petro Wesenbecio, precibus Ducum Saxoniæ, quibus refragari nefas duxit, Vniversitati nostræ erepto, Codicis, Antecessorq; Primarius, nec non Consiliarius Noricus ab Inclyto Senatu publicè fuerit designatus: in quibus provinciis obeundis, strenueq; & gnaviter exornandis, ipsos viginti sex annos, & quod excedit, consumsit. Quo toto tempore quanta fide & industria omnes partes Juris exactissimè enucleaverit, quanta ingenii alacritate de obscuris perspicuè, de perplexis ordinatim, de dubiis accuratè differuerit, quanta deniq; vocis magnitudine, quanta orationis ubertate, actionis splendore ac dignitate omnium auditorum animos in sui amorem & benevolentiam rapuerit, quis est, qui consentanea stili gravitate possit explicare? Neque verò differebat tantùm, sed & scribebat. Cujus rei fidem faciunt æternæ laudis & artis pignora, quæ seculo deposuit permansura, donec in terris erunt cultores honoris, sapientiæ ac eruditionis, imò illa ipsa rerum humanarum divinarumque Regina Justitia; inter quæ, velut inter ignes Luna minores, caput extollunt nobilissimi libri de Donatione inter Virum & Vxorem, de Conjurationibus, de Bonis Maternis & Secundis Nuptiis, de Erroribus Testamentorum à Testatoribus ipsis commissis, de Jure Publico Populi Romani, libri duo Parergorum ad Pandectas, & inprimis tres præclarissimi illi de Jurisdictione, qui nec à summis quidem JCtis satis laudari commendariq; possunt. Cum verò virtutis & gloriæ ea sit conditio, ut angustos intra cancellos circumscribi se minimè patiatur, sed effractis unius privatæ domus claustris erumpat in publicum, & exteris quoq; omnibus contemplanda & admiranda sistatur; ita quoq;

Scipio

Scipio noſter Gentilis præpetibus ingenii ſui pennis primò in ſublime ſe efferens, latiſſimo per gloriæ campum gyro alas ſic extendit, ut fama ejus jam omnibus orbis terrarum regionibus contineri, & civitatum Græcarum more, quæ de patria Homeri ambitiosè ſatis dimicabant, quaſi quoddam certamen inter potentiſſima regna de Scipione noſtro nanciſcendo iniri videretur. Petebat enim illum Gallia ſubtiliſſimorum aliàs ingeniorum fertiliſſima, anxiè deſiderabat eum Academia Heidelbergenſis, voluit illum Ariſtocratica Sedis Apoſtolicæ Monarchia, cujus faſces ea tempeſtate moderabatur Clemens VIII, qui liberrimo illum potiùs religionis exercitio uti quàm eodem carere maluit: (magnum ſanè Pontificis promiſſum, ut quod alii maximis donis ſummaq; vi obtinere non potuerunt, virtute ac Juris ſcientia hic obtinuit!) Vnanimi etiam conſenſu ab Illuſtriſſimis Hollandiæ Ordinibus expetebatur, ſed fruſtrà ab omnibus: hîc enim bene mereri & mori, hîc ingenii ſui vim exerere, hîc viam ſibi ad perpetuam nominis gloriam parare, ſternere, doctiſſimaq; juvenum animos formandi methodo munire maluit, quàm maximis alibi laboribus ac vitæ periculis ſe implicare. In hac humanæ vitæ quaſi fabula transactis jam ſuis partibus, Gentilis noſter Scipio cum plauſu hic Altdorfii deceſſit, ſeptimo menſis Auguſti, anno hujus ſeculi decimo ſexto, ætatis verò tertio quinquageſimo. Quem poſt mortem quoq; tanti æſtimavit Inclytus Senatus Norimbergenſis, ut illum, tanquam pretioſiſſimum theſaurum, promiſcuæ ſubtractum ſepulturæ in hujus oppidi templo copulatum jam cum Magni Donelli Manibus in cœlis, cum oſſibus etiam in terris incomparabilis viri conjungi juſſerit: *Epitaphiũ deſcriptum vid. in Cl. Rönigii Biblioth. Vet. & Nov. p. 340. 341.*

Scilicet ut tumulo quoq; viciniſſimus eſſet,
cui magno fuerat proximus ingenio.

Mortuum Mich. Piccartus Oratione laudavit elegantiſſimâ. Ordinis me jam ducit linea ad fulgidiſſimum illum Vniverſitatis noſtræ ſplendorem, CONRADVM RITTERSHVSIVM, columen Patriæ, Academiæ lumen, Reipubl. Noricæ ornamentum, ritè à natura perfectum illud ſummum Jurisprudentiæ omnisq; præclarioris eruditionis culmen ac faſtigium, literarum denique ac literatorum omnium, quamdiu vixit, patronum. Quanta in hoc viro vis ingenii & doctrinæ, quanta eloquentiæ

 & ſa-

& ſapientiæ gloria, quanta rerum peritia atq; experientia, quanta denique, quod eſt omnibus ejus laudibus jure meritoq; anteponendum, quodq; omnibus ſeculis difficillimum inventu, admirabilis cum admirabili omnis generis eruditione conjuncta judicii rectitudo, vitæ mentisq; integritas ac innocentia fuerit, dicendo ſatis conſequi haud me poſſe intelligo. Et quænam tanta eſt ingenii vis, quod tantum orationis flumen, quæ tanta dicendi facultas & copia, quæ RITTERSHVSII noſtri laudibus ex æquo reſpondeat? Fuit enim Vir ille alter ſui ſeculi Scævola, neq; ſolùm JCtus, ſed Poëta eximius, Philoſophus acutiſſimus Oratorque optimus; grandis enim erat verbis, immenſus translatis, nobilis ſententiis, quæ acres vibrantesq; in audientium ſenſus invaderent, irrumperent, penetrarent, in eisq; aculeos quaſi quosdam relinquerent; adeoq; (quod de Scævola Craſſus dicere ſolebat) erat RITTERSHVSIVS *Juriſperitorum eloquentiſſimus, & eloquentium Juris peritiſſimus.* Exortum autem eſt ingens hoc Themidis lumen in magna illa Saxoniæ Inferioris urbe Brunſviga, ſeculi ſuperioris anno ſexageſimo, die vigeſimo quinto Septembris: qui menſis uti ipſi natalis fuit, ita & fatalis. Poſt jacta prima pietatis literarum ac bonarum artium fundamenta, nactus eſt Præceptores Brunſvigæ, Matthiam Bergium, Rectorem ac Moderatorem Scholæ patriæ feliciſſimum, in hac Altdorfina deinde Ethices Profeſſorem oppidò celebrem: Clariſſimosq; JCtos Borcholtum & Jagemannum Helmſtadii: celeberrimum noſtrum Giphanium in Jure & Philoſophia Practica, in Metaphyſicis acutiſſimum illum Peripateticum Philippum Scherbium, hîc Altdorfi: nec non Andream Fachineum Ingolſtadii, ubi locorum etiam familiariter uſus eſt Profeſſoribus reliquis, atq; inprimis Philippo Menzelio, & Alberto Hungero S. Theologiæ Doctore; quorum ille illum propter modeſtiam & eruditionis amœnitatem non leviter amavit, hic verò tanquam graviſſimus ingeniorum cenſor ſcrutatorq; animorum ſolertiſſimus, hoc de ipſo jactavit elogium: Revixiſſe in Rittershuſio Gregorium Nazianzenum, utpote qui in ſcribendis Græcis carminibus ingenium illius feſtivè poſſet efformare. Non minus quoq; eruditionis elogium indeptus eſt à Conſultiſſimo Colero, ad generoſum Juvenem Stanislaum Juclenium Vitelſium inter alia ita ſcribente: CONRADVS RITTERSHVSIVS

neſcio

nescio an tibi familiaris fuerit, fuisse vellem. Probus vir est, & præter J Ctum varia eruditione & linguæ Græcæ facundia virum se præstat. Non immeritò hoc à tantis commendatur Viris, quòd celeberrimus noster RITTERSHVSIVS Legum studium, politiorum literarum & præsertim Græcæ Linguæ cognitione condire voluerit & ornare; secus ac faciunt illi canina facundia exerciti litium consarcinatores, togati vulturii, hirudines forenses, fori tintinnabula & gregarii rabulæ, quos pestes civitatis non injuriâ quis appellet. Vix in nostram Vniversitatem pedem intulerat RITTERSHVSIVS, jam Institutionum Professio illi deferebatur, cui per aliquot annos laudatissimè præfuit, usq; dum post discessum ex hac Academia *Petri Wesenbecii, Scipioni Gentili*, qui priùs Pandectas explicabat, successio in locum sublimiorem concederetur, Rittershusio autem nostro Pandectarum Professio demandaretur. Posset hic gloriari mea oratio, posset se efferre, posset triumphare, posset stupenda prorsus loqui de admiranda nulloq; ætatis flexu inclinata fatigataq; Rittershusii pietate, de mira ejus ac rarissima, qua relictis veteribus viis, ad omnium scientiarum notitiam studiosis novum & facillimum iter aperire consvevit, docendi interpretandiq; methodo; & deniq; de purissimis, qui per viginti & duos annos, quibus Professionis munus sustinuit, ab eo, tanquam à limpidissimo omnis Sapientiæ & Prudentiæ fonte, in multorum studiosorum animos exundarunt, Jurisprudentiæ rivulis: nisi tanta commemoraturo, omnia in rerum pondere, nihil in verborum cultu esset reponendum. Cùm vero rerum humanarum ea sit conditio, ut nihil in iis sit perpetuum, constans nihil, præsertim in iis quæ ad sublimitatem & perfectionem suam pervenerunt: ita & nostrum Rittershusium, cùm is jam ad summum famæ & honoris culmen ascendisset, & ubiq; audiisset gemma doctorum omnium ac bonorum inæstimabilis, anno hujus seculi decimo tertio, ætatis vero tertio & quinquagesimo, supremus occupavit dies; non tamen sine relictis præclarissimis literarum monumentis. Ita namq; se in Bibliothecam omnis generis refertissimam abdidit, ut tanquam diligens agricola arbores sereret, quæ alteri seculo magno commodo atq; emolumento fore existimavit. Præter enim Commentarios in Oppianum, Salvianum, Güntherum,

Phædrum, Plinii Epiſtolas ad Trajanum, Malchum, Iſidorum Peluſiotam, Partitiones Juris Feudalis, Conſilia Altdorfina, Dodecadelton, h.e. novum in XII Tabularum Leges Commentarium, Differentiarum Juris Civilis & Canonici libros ſeptem, Commentarium in Inſtitutiones, ad L. Contractus de diverſis Regulis juris antiqui, Jus Juſtinianeum ſive Novellarum methodicam expoſitionem, aliaq; inſigniora incomparabilis ingenii ſui pignora erudito reliquit orbi, quorum decus nulla obliterabit oblivio, ſed poſteritas alet, æternitas ipſa ſemper intuebitur. Nec ſanè nulla mihi laudum materies hic daretur de Conr. Rittershuſii συγχρόνῳ & Collega, JACOBO TETENSIO, JCto apud nos & Anteceſſore, cujus hodieq; ſuperant Diſpp. de Transactionibus, de Jurisdictione, & ad L. Precibus. Cod. de Impub. aliisq; Subſtitt. & fortaſſe plures; nec non de minimè vulgari illo JCto MATHIA HÜBNERO, Anclam-Pomerano, qui per decennium hîc AltdorfI ſumma cum ingenii ſui celebritate jura eſt profeſſus, relictis pulcherrimis in Juris Inſtitutiones Diſputationibus, Annoq; ſeculi hujus decimo quarto Norimbergæ ſplendido Conſiliarii munere fungens, inter vivos eſſe deſiit; niſi me avocaret pars orationis meæ altera, in qua illos Jurisprudentiæ Doctores ac Profeſſores, qui circa alterius hujus Academiæ Natalis tempora & poſt ea vixerunt, me in ſcenam producturum initio indicavi: quare ut & hiſce promiſſis meis ſtare poſſim, id quod adhuc feciſtis, benignè attenteq; breviter me dicturum porrò audiatis, maximopere rogito.

Annus ſeculi hujus erat tertius & vigeſimus, quo Sacratiſſimus Imperator FERDINANDUS II priora Lyceo huic à RUDOLPHO II indulta privilegia non ſolùm clementiſſimè conſtabiliendo, ſed etiam ad Juridicam & Medicam Facultates Ampliſſimas prolatando, alterum huic Academiæ Natalem illuceſcere fecit. In quorum Privilegiorum ſollenni promulgatione Inclytæ Facultatis Juridicæ Decanus tum temporis florebat omnis Legalis Doctrinæ Theſaurus ANDREAS DINNERUS. Hujus tanti viri patriam ſe dicit non modò, ſed jactat celeberrima illa Franconiæ urbs Wirceburgum, in qua primos edidit vagitus, terrenumq; hoc exilium orſus eſt, ipſo die Purificationis Mariæ, anno à nato mundi Redemtore 1579. Ac primum omnibus illis diſciplinis, quibus juvenilis ætas inſtrui debet,

bet, eruditus, ac prò amore, quo ipse eam facultatem prosequebatur, juris scientiæ initiatus, in eadem Universitate patria Wilhelmum Brussium Scotum, Petrum Gulkenium, Antonium Salicetum, Belgas, & hic Altdorfi Conradum Rittershusium, Ingolstadii Andream Fachineum & Henricum Bocerum, lectissimos fidelissimosq; habuit Doctores; tandemq; perlustrata Gallia, Anglia & Italia, anno seculi currentis sexto, in numerum Consiliariorum Inclyti Senatus Norimbergensis receptus, post bimestre Institutionum Professionem hic Altdorfi obtinuit. Deinde post obitum ἐπάνω Rittershusii Pandectarum Professor electus, & triennio pòst, supremam Juris Professionem morte Scipionis Gentilis vacantem adeptus, omnes Antecessoris Primarii numeros implevit. Senior Collegii Juridici fuit ab anno sexto decimo, ex quo ad plures migravit modò memoratus Scipio, usq; ad annum hujus seculi trigesimum tertium, quô ipse, dum vix per biduum decubuisset, animam Creatori suo reddidit. Sanè fuit Dinnerus & Theoreticus instructissimus & Practicus excellentissimus: in quem, si in quenquam Doctorum, elogium istud, quo Themistoclem insignivit Thucydides, convenit: *Fuit rerum improvisarum cum brevissima deliberatione judex præstantissimus, & futurarum ac eventus ipsarum plerumq; optimus conjector.* Hinc ea de recondita exquisitaq; ejus doctrina singulariq; prudentia omnium animos invaserat opinio, ut illius domus Civitatis Noricæ, & Academiæ, imò magni alicujus Principis oraculum haberetur, quò omnes confugerent, unde in suis rebus dubiis responsum referrent, quodq; dictum ab eo esset, non aliunde, quam ex Apollinis ore prolatum acciperent. Inter monumenta ingenii ac doctrinæ, quæ per universum literarum orbem disseminavit, effulgent Disputationes de Monetæ mutatione quoad solutionem, Conclusiones tam Contractuum quàm Contentionum obscurarum, Commentarius de justo rerum pretio definiendo, & quatenus in eo circumvenire contrahentes liceat; sapientiæ sanè ad publicos usus signa immortalia. Præter hunc Jurisperitum Clarissimum eodem fere tempore nostra vidit Altdorfina ingens illud Astrææ decus ERASMUM UNGEPAUERUM, Naumburgensem, anno superioris seculi octogesimo secundo natum, Pandectarum hic per decennium & quod excurrit, Professorem celeberrimum: qui deinde seculi

noſtri trigeſimo quinto Jenam abiens, per quatuor & viginti annos Decretalium Profeſſor Publicus & Prudentiſſimus Vinarenſis Ducis Conſiliarius, Scabinatusq; Aſſeſſor meritiſſimus extitit. Pulcerrimam ejus ingenii formam magis quàm aliqua eloquentiſſimi cujusdam oratio exprimet multorum, quæ poſteris reliquit, monumentorum divinitas, quorum exequias nulla poſteritas ſeculorum aſpiciet, Tractatus inprimis de Jure Naturæ, Exercitia Juſtinianea, Commentarius ad Decretales aliaq; plura inſignis eruditionis pignora, de quibus ſilere præſtat, quàm pauca dicere. Vidit ÆGIDIVM AGRICOLAM, religioſiſſimum quoq; juſtitiæ Sacerdotem & Conſiliarium Noricum. Natus is erat anno 1578 Neukirchii Palatinæ ditionis loco, Sulzbachio quarto lapide diſtante. Juvenis ſtudio juris incumbens interpretibus uſus eſt Jenæ Geilkirchio, Hœnonio, Dominico Arumæo, Ortolpho Fromanno, Doctoribus longè celeberrimis. Initio extraordinariam, tandem etiam anno hujus ſeculi tertio decimo, ſuum ante obitum trigeſimo, Publicam Profeſſionem Juris Civilis, Titulorum Digeſtorum de Verborum Significationibus & Regulis Juris accepit. Ingenium Viri perhibent fuiſſe ſulco ſimillimum, è quo Juris & præcepta ſaluberrima & æquiſſima reſponſa & conſilia tutiſſima quotidiè germinabant. Vidit deniq; JOHANNEM GERHARDVM FRAVENBVRGIVM, Norimbergenſem, itidem Reipubl. ejusdem Conſiliarium graviſſimum, nec non Juris in hac Vniverſitate Profeſſorem inſignem, qui anno ſuperioris ſeculi octogeſimo nono natus, in ipſo autem flore rerum ſuarum, inq; vigentis etiamnum ætatis indeflexa illa maturitate, anno ætatis primo & quadrageſimo, ſeculi præſentis trigeſimo eheu! denatus eſt. Erat is verò non ſolùm præſtantiſſimus JCtus, ſed etiam Poëta excellens, pro quo mortuo quoq; loquitur adhuc elegantiſſimum illud carmen, quo deſcripſit hiſtoriam de Virginio filiam ſuam interficiente, ex Livii Decad. 1. Lib. 3. Atro autem carbone notandus hìc eſſem, Auditores Honoratiſſimi, ſi B. Frauenburgii ſucceſſorem ſilerem diutiùs, Virum & antiquitate generis & ſanctitate ac innocentia morum & admirabili doctrina, ac profundiſſima Jurisprudentiæ optimarumq; artium cognitione penè incomparabilem, WILHELMVM LVDWELLVM intelligo, patria Elbingenſem, genere Nobilem Anglum,

JCtum

JCtum ſummum & in hac Altdorfina Vniverſitate per triginta & duos annos Profeſſorem celebratiſſimum, Sereniſſimi Comitis Palatini CHRISTIANI AVGVSTI, nec non Inclytæ Reipubl. Norimbergenſis Conſiliarium graviſſimum: cujus corpus, in quo magnus ille animus annos ſeptuaginta fere & quatuor tanquam hoſpes in anguſto domicilio ac lare commoratus eſt, ante hos annos viginti incredibili cum Muſarum luctu terræ eſt traditum. Verùm utinam Ludwellum noſtrum effracto Libitinæ jure redivivum hic ſiſtere liceret! peroratum eſſet, Auditores, cùm ipſâ hujus Viri præſentia in pleniſſima luce virtutes, ſtupendamq; qua floruit, eruditionem retegeret, quam meum vel leviter adumbrare non valet ingenium. Neq; jam occupatus ero in extollenda ejus laudandaq; juvenili vita, quam ardentiſſimo ſemper literarum amore flagrans in Illuſtri Academia Zamoſciana ſub Adriano Romano, Canonico Herbipolenſi, Regiomontana & noſtra Altdorfina laudatiſſimè transmiſit; hoc tantùm deprædicare liceat, quantum huic viro Altdorfium debeat, quantum noſtra Vniverſitas, quantum Reſpubl. Norica, quantum deniq; ipſa Jurisprudentia, imò totus eruditus orbis. Vidiſti, ô Academia noſtra, quantos ille labores, quanta onera & negotia pro augenda & per immenſam hujus mundi machinam diſſeminanda nominis tui gloria ſuſceperit; quàm ſincero amore te foverit, dum etſi à non paucis Imperii potentiſſimis Principibus, Illuſtriſſimis Ordinibus, ac Liberis Civitatibus, ut aulis vel tribunalibus ſuis ſeſe adſcriberet, certatim fuerit expetitus, tamen ut tuum, o florentiſſima Palæocome, conſtaret decus, in tui ſolùm amorem & commodum, quamvis pinguibus ſanè illectus conditionibus, ſubtrahi ſe non eſt paſſus; ſed per duos ac triginta annos te Muſasq; tuas tam publica quàm privata induſtria ſic ornavit, ut paucos reperire liceat JCtos, ſive fruantur ſupremis dignitatum titulis in Sereniſſimorum Electorum dicaſteriis, Celſiſſimorum Principum aulis, Illuſtrium Dynaſtarum florentiſſimarumq; provinciarum Conſiſtoriis, ſive in Juridicis Academiarum cathedris ſint conſtituti, qui tibi ob ſolum LVDWELLVM multum vel jam non debeant, vel impoſterum ſint debituri: ſiquidem nemo inter Jurisprudentiæ amatores numerari ſe poſſe autumabat, qui in tuis non vixiſſet gremiis, & ingentem hunc Germaniæ theſaurum LVDWELLVM Præceptorem

rem ſive loquentem ſive mutum non habuerit. Vidiſti & tu Inclyta Respubl. Norimbergenſis, quanta cum totius Noricæ gentis gloria & immortali celebritate, in arduis apud diverſos Imperii Status pertractandis negotiis comitiisq;, animum tibi ſuum prudentiſſimum & ſecundis temporibus dubiisq; rectum approbatum reddiderit, ille Themiſtocles, ille Pericles, ille Craſſus, ille Scævola. Vidiſti tandem & tu, vaſtiſſime literarum orbis, quantum tibi conſultum eſſe voluerit iſte ſeculi noſtri Papinianus, cùm ſcientiam aucuparetur non ad ſolam nominis oblectationem, non ut ſibi ſuisq; caneret Muſis, non ad vanam oſtentationem, ut ſcire tantummodo videretur, quemadmodum nummis & calculis utimur, verùm ut eam in uſum tuum publicè impertiretur: tibi enim ſe exercebat, tibi laborabat, tibi vivebat, tui gratiâ ſæpiſſimè fugam ſolis ingenii perſpicacis lumine ſupplebat, ſomno tempora vigiliarum prorogatione decerpebat, & in laborioſum tuæ utilitatis defixus ſtudium ſolidas diebus noctes maritabat. Loquantur pro me ipſa viri monumenta, hoc eſt, mentis ſuæ ac ingenii pupilli, quos eruditæ poſteritati committere voluit, inter quos tantum caput efferunt,

quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,

decem & octo Exercitationes ad quatuor Inſtitutionum (quæ appoſitè ab ipſo *Catechiſmus Juris* appellabantur) libros, in hos Commentarius, Synopſis Juris Feudalis, Tractatus de ultimis voluntatibus, Novus Commentarius cum annotationibus & remiſſionibus in Weſenbecium, ſub Johannis Richardi Malcomeſii nomine editus, aliaq; præclara opera, quæ illibata judiciis & cogitationibus ſplendidiſſimi hujus Auditorii reverentiùs permittenda eſſe cenſeo, quàm ingenii mei culpâ deterenda. Hoc tantùm addere placet, quod LVDWELLVS lectiſſimis hiſce ſcriptis monumentum ſibi erexerit

- - - ære perennius
Regaliq; ſitu Pyramidum altius:
quod non imber edax, aut Aquilo impotens
poſſit diruere, aut innumerabilis
annorum ſeries & fuga temporum.

Sed cùm tanti hujus Viri laudibus digna ſatis oratio reperiri non queat, proinde ad illuſtria alia Themidis Altdorfinæ ornamenta, viros pariter haud incelebres, qui Collegæ LVDWELLI

laborumq;

laborumq; ſocii erant, noſtræq; Vniverſitati tantum, quantum cœlo formoſiſſimus ille mundi oculus Sol, innumerisq; comitata ſideribus Luna, addidere decus, paucis quoq; me convertam. Fuit ex his alter JOHANNES KOBIVS Hilperhuſanus Francus, Reipubl. Norimbergenſi à Conſiliis, ad juſtitiam, humanitatem, concordiam inq; docendo aſſiduitatem Anno 1590 natus, quiq; in Altdorfina noſtra Senior, multisq; profeſſionibus, tam Juridicis quàm Philoſophicis, per quadraginta annorum ſpatium ſumma cum laude exercitatus, in cœleſtem tandem lætitiam, excitatus piè cantando, ut plenus æternæ vitæ conviva, anno hujus ſeculi primo & ſexageſimo deceſſit. Alter NICOLAVS RITTERSHVSIVS Altdorfinus, CONRADI quem ſupra laudavimus, Filius, in Academia patria Juris Profeſſor per ſex & triginta annos oppidò celebris, Regibus, Principibus, Dynaſtis, Nobilibus, aliisq; Magnis ac Literatis Viris ex longinquis itineribus & conſummatiſſimæ cognitionis, præſertim Hiſtoricæ & Genealogicæ, quam Tabulæ ejus cedro dignæ plus ſatis teſtantur, fama notus, ante annos tredecim ſeptuagenario major magnæ matri concreditus. Quibus accenſendus omninò eſt ille Juſtitiæ & Legum acer cuſtos rigidusq; ſatelles ERNESTVS CREGELIVS, qui novem abhinc annis magno cum Muſarum mœrore ac deſiderio tumulatus eſt. Erat hic Vlza-Lüneburgenſis, & diſcipulus γνήσιος Snobelii, magni apud Roſtochienſes JCti, atq; noſtri ſuper æthera noti Ludwelli, quorum præcipuè alloquiis, conſiliis & informatione recreabatur medullitus. Hinc cùm breve intra tempus vaſtiſſimum illum Juris Oceanum transmeâſſet, apud Strenuiſſimum Senatum Norimbergenſem, Ludwello illum commendante, à quo non niſi filii nomine cenſebatur, & paterno affectu ad ultimum vitæ terminum amabatur, extra ordinem Juris Profeſſor Publicus deſignatus, & mox exſerente ſe admirabili ingenii felicitate, in numerum Profeſſorum Ordinariorum & Conſiliariorum Reip. Norimbergenſis cooptatus eſt. Has provincias egregiè exornare ſtuduit, atq; per annos viginti, quibus præfuit illis, nihil inauſum intentatumq; reliquit, quò minùs ſtudiis ſuis tam privatis quàm publicis, tam Academicis quàm forenſibus, Ordinem Juridicum jam antè celeberrimum reddere poſſet celebriorem. Et ſanè longè major futurus erat noſter Cregelius, ſi

diuturniorem lucis uſuram fata ipſi conceſſiſſent; nihilominus tamen quicquid ex eodem amavimus, quicquid mirati ſumus, manet, manſurumq; eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Etſi verò amplior nunc & patentior dicendi perorandiq; campus ſeſe mihi offerat, in quo latiùs evagari & excurrere poſſet Oratio mea, temporis tamen ratio monet, ut vela contraham, maximeq́; caveam, ne eos offendam, qui incredibili humanitate, admirabili favore, attentiſſimis animis auribusq; balbutientem me audire adhuc perſeverarunt. Dixi igitur de ſplendidiſſimis Jurisprudentiæ luminibus, quæ noſtram hanc Vniverſitatem per annos centum, ac plus eò, clariſſimè illuſtrârunt, quæq; jam ut Doctores Juſtitiæ in cœlo ſplendidiſſimo, auguſtiſſimo illo beatitatis templo, fulgent uti ſtellæ in omnes æternitates. Ecquid reliquum eſt, quàm ut nunc quoq; dicam de VOBIS, qui in ſummorum, quos pro ingenii mei deprædicavi modulo, Juris Conſultorum, uti in locum, ita in virtutes ſucceſſiſtis, & vel alibi, vel hic loci, etiam nunc (utinam diu) vivitis ſuperſtites, & maſculè dignitatem Altdorfinæ, ſplendorem Jurisprudentiæ, vinculum fidei & virtutis antiquæ, defenditis, conſervatis, augetis? Verùm ignoſcite Viri Excellentiſſimi, ignoſcite, ſi hac in parte Oratoris officio non fungar, & ne adulationis crimine vobis me ſuſpectum reddam, de quotidianis veſtris erga Inclytam hanc noſtram Vniverſitatem meritis, de quibus nulla unquam laus conticeſcet, quæ nulla ſilebit poſteritas, totus ſileam. Placet enim mihi Caji Peſcennii Nigri reſponſum, qui in Syria ab exercitu appellatus Imperator, cuidam Panegyricum ſibi de laudibus & rebus ſuis geſtis recitanti, *Scribe*, dixit, *Marii laudes, aut Annibalis, aut alterius cujuspiam Ducis egregii, ſed vitâ functi, quem nos imitemur. Ego verò placere vivus, mortuus etiam laudari volo!* Scilicet non facilè quis eſſe poteſt viventis alicujus laudator, ne magis videatur adulator; imò qui non tam arriſor quàm arroſor ferè habeatur: quô fit, inquit magnificus ille & ingens ut animi ſic verborum Tullius, ut poſt mortem multò & incorruptiùs & rectiùs de aliorum virtute plerumq; judicetur, cum & ſine amore & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio & invidia judicatur. Tutius igitur & religioſius fortè fuerit, ſi honore ſilentii ſupprimam, quod voce & ſtilo reſignare non auſim, ad exemplum ingenioſiſſimi illius

ſius pictoris, qui velo contexit, quod penicillo exprimi poſſe deſperabat. Eant igitur illæ bonarum artium inventrices Athenæ: eat vetus illa Italia, plena quondam bonarum artium & literarum, quæ propter Doctorum multitudinem, magnæ Græciæ nomine cohoneſtata florebat: eant ſi non omnes certè pleræq; orbis Chriſtiani Academiæ, & ſciant, noſtram illis Altdorfinam ob tot tantorumq; Jurisprudentum, quos enumeravimus, celebritatem, palmam ſi non præripere, ſaltem facere dubiam atq; ancipitem. Appellatur Academia Alexandrina à Baſilio univerſæ doctrinæ officina pulcerrima, Ægyptus à Macrobio artium bonarum mater, Berythus Phœniciæ ab Imperatore Juſtiniano Legum Nutrix: manet manebitq; noſtra Altdorfina Legum Nutrix, Juſtitiæ delubrum ac celebratiſſima Jurisperitorum ſchola, tot tantisq; fortiſſimis Jurisprudentiæ fulcris atq; columnis ſemper innixa, ut illam nec ignis edax, nec ipſa potis ſit invidioſa diruere vetuſtas. Tu verò DEUS Optime Maxime, qui uti omnium bonorum fons, ita & Academiarum fundator es atq; conditor, fac, floreant Tibi, vireant Academiæ huic, quæ niſi per has ſtabit columnas, lapſu ruet fatali, vigeant ſibi, bonis omnibus, deniq; & mihi tenerisq; meis Muſis, noſtri hac in Univerſitate JCti, aliarumq; bonarum artium Doctores Excellentiſſimi, feliciſſimè, diutiſſimè! Floreat Norimberga! Floreat filia ejus Altdorfina, Jurisperitorum Schola!





ORATIO IV
De
MEDICIS ALTDORFINIS.
PROGRAMMA.

HAbet etiam Medicina nobilissima, quemadmodum artes scientiæq; aliæ, osores suos ac irrisores, qui existimant, illam civitati neq; utilem esse neq; necessariam. Qvis ignorat, ajunt, Romam ultra annos sexcentos sine Medicis floruisse, atq; in horum contemtum Æsculapii templum extra urbem fuisse positum? Quis ignorat servos & mancipia tantùm tractâsse medicinam? Vnde Plinius Medicos esse terræ filios inquit, ex egestatis carceribus & fullonia natos, in communem hominum necem conjurantes. Quis ignorat omnem à Deo exspectandam medelam, & constitutum cuiq; vitæ terminum, qui superari non possit; quid ergò Medicis opus? His & pluribus partim scommatibus, partim argumentis ficulneis, impugnant scioli quidam sacratissimam Artis Medicæ dignitatem, digni sanè qui Hippocratis alligentur vinculis, & in Æsculapii templum deportentur molliter, ibiq; partem hellebori capiant multò maximam. Equidem annis sexcentis Medicina caruisse Qvirites, non inficior; idem tamen de Theologia fere ac Philosophia dicendum: bârbari enim fuerunt. Æsculapii templum habuerunt in deliciis; ideò hortenses inter voluptates collocârunt. Est à Deo omnis medela, *inquit Siracides cap.38; sed addit :* Honora Medicum propter necessitatem, etenim eum creavit Altissimus. Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. *v.1.4. Insuper certus vitæ terminus tametsi cuiq; sit*

ſit conſtitutus, quem transgredi nemo poteſt; interim tamen ea non ſunt refugienda, quæ nobis ſunt adjumento, ut præfixum terminum aſſequamur; alioquin quid obſtat, quò minùs in medio vitæ curſu poſſimus corruere, & quodam quaſi naufragio perire, antequam ipſum portum nobis conſpicere liceat? Manet igitur ab his & aliis id genus ſcopulis inconcuſſa Artis Aſclepiadeæ ſublimitas.

Vtq; viret laurus ſemper, nec fronde caduca
carpitur; æternum ſic habet illa decus.

Enimverò mancipia quædam olim Medicinam Romæ exercuiſſe dicuntur, ſed veterinariam, equis tantùm & aſinis ſalutiferam. Veram illam & hominibus ſalutarem, cujus utilitatem nobilitatemq; Deorum inventioni conſecravit Antiquitas, coluere ipſi, præter ſapientiſſimum Salomonem, Sabor & Ginges Medorum, Saliel Arabum, Alexander M. Macedonum, Mithridates Ponti, Hermes Ægyptiorum, Gentius Illyriorum, Juba Mauritaniæ, Dionyſius Siciliæ, Telephus Myſiæ, Siſyphus Corinthiorum, Joſina Scotorum, aliorumq; Reges alii. Ex Imperatoribus etiam Hadrianum, Marcum Antoninum, Conſtantinum Pogonatum, non tantò deteriores fuiſſe conſtat, quantò fuerunt Artis Medicæ peritiores. Horum maximorum Imperatorum ſucceſſores, ac Magiſtratus alii, ſingulari deinde ſanciverunt prudentia, ut ſaluberrima medendi ſcientia in ſcholis illuſtrioribus & Academiis doceretur publicè, quò ſexcentis, quæ ab indoctis Medicis in Remp. redundant, incommodis eatur obviam, atq; ut ibi docta excellentium ac peritorum Medicinæ Profeſſorum manu formarentur novi Æſculapii, Pæones, Machaones, Podalirii, Hippocrates, Galeni, Averroes, Avicennæ, morborum depulſores vindicesq; ſanitatis. Cæſarum illorum Magiſtratuumq; laudatiſſimorum veſtigiis inſtitit etiam huc usq; Sapientiſſimus REIP. NORIMB. *Senatus, dum jam inde ab Univerſitatis*

hujus Altdorfinæ incunabulis, ad exornandum Gratiosum MEDICORVM ORDINEM, *magnis evocavit aluitq; sumtibus Viros profectò magnos ac* ἰατροὺς φιλοσόφους, *adeoq; Divini Hippocratis judicio,* ἰσοθέους: *quorum vitas laudesq;, crastini prima, Oratione leporibus Veneribusq; dicendi plenissima decantabit pius tantorum Manium & strenuus Artis Machaoniæ Cultor, bujusq; olim insigne futurum decus,* DN. CONRADVS RVDOLPHVS HERTZ, *Erfurtensis, ob morum & ingenii elegantiam eruditionemq; eximiam, bonis omnibus commendatissimus. Quamobrem* Magnificum DN. RECTOREM, Perillustres & Generosissimos DNN. BARONES, Excellentissimos PATRES ACADEMICOS, Nobilissimosq; & Eruditissimos DNN. STVDIOSOS, *observanter etiam atq; etiam oro, ut si per graviores licuerit occupationes, eandem gratiam ac benevolentiam, quam nobis præstiterunt sæpius, nunc quoq; splendida ac honorifica præsentia sua testari velint. Erit hoc laboris nostri amplissimum præmium, & nobile nobilibus ingeniis ad plura ejusmodi conamina incitamentum.*

MAGNVS DANIEL OMEIS. P.P.

ORATIO.

(Titt.)

INter cæteras HISTORIÆ partes, quarum equidem plures numerantur, non infimum profectò locum meretur ista, quæ *Prosopographiæ* nomine venire solet, cultores suos & mirifica oblectans voluptate, & fructibus cumulans pretiosissimis, non minùs ac lux veritatis, *Historia Vniversalis.* Si enim

enim hæc generaliter id præſtare lectoribus poteſt, ut ſine labore ullo paſſim divagari, omnes ſimul locos intueri, omnibus bellis ſine periculo adeſſe, infinitum temporis ſpatium contrahere, infinitas res geſtas ſimul cognoſcere, quæ ab Aſſyriis, quæ à Perſis, quæ à Græcis, quæ à Romanis factæ ſunt, bello nunc terreſtri, nunc marino, nunc concionis mediæ intereſſe conſiliis poſſint; illa certè ratione non minùs jucundâ efficere poteſt, ut cum Themiſtocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Ageſilao trajicere, cum Xenophonte incolumes redire, amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari queant. Si Hiſtoria in univerſum *exſequitur ſententias inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore, ne virtutes ſileantur, utq; pravis dictis factisq; ex poſteritate & infamia metus ſit*; quod *præcipuum Annalium officium* pronunciat prudentiæ ingeniiq; acumine celeberrimus Tacitus: Hiſtoria Proſopographica adhuc ſpecialiùs, per exempla hominum ſingulorum ſpecialia, virtutes bonorum & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes & rerum in ea converſiones, malorum facinorum pœnas & bonorum præmia ob oculos ſiſtit; cùm exempla validiora ſint quàm leges, magisq; mortalium animos moveant, quàm præcepta ac monita ſaluberrima. Ad Hiſtoriam hanc Proſopographicam inprimis ſpectant *Vitæ* virorum genere, dignitate & doctrina illuſtrium, in quibus fideliſſimè conſignandis non tantùm vetuſtiſſimos occupatos reperimus Philoſophos, ſed neq; noſtro ſeculo venuſta deſunt ingenia, quæ in hoc tam conducibili labobore operam ſuam collocant atq; induſtriam, tum ut mortales aliorum eventis doceantur & bene agere diſcant, tum ut memoria Clarorum Virorum apud poſteros incorrupta ſit, & ſuum cuiq; decus poſteritas rependat. Is enim verus honos, ea optimi cujusq; pietas, eximiorum ſummæ doctrinæ ac judicii Virorum memoriam ſic venerari, ut omnia facta dictaq; eorum ſecum revolvat, famamq; ad figuram animi complectatur: vultus hominum imbecilles ac mortales ſunt, forma mentis æterna, quam tenere & exprimere ſuis poſſit moribus. Sanè quicquid ex claris virtute ac doctrina Viris amamus, quicquid miramur, manet, manſurumq; eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Equidē multos veterum velut inglorios & ignobiles oblivio obruet; doctrinæ autem nobilitate celebres viri poſteritati

nar-

narrati & traditi, ſuperſtites erunt. Quæ cùm ita ſeſe habeant, operam nos neq; ingratam, neq; prorſus inutilem collocaturos ſperavimus, ſi de Vitis *Medicorum*, qui in celeberrima hac Univerſitate ab ejus incunabulis ad hæc usq; tempora nobiliſſimam Artem Medicam ſummo cum applauſu docuerunt, in medium quædam afferamus, hac quidem ratione, ut omnia memoratu digna, quæ ad manus noſtras de Eorum ortu, rebus geſtis atq; obitu pervenere, grata brevitate atq; fide integra exponamus; minutiſſima enim quæq; conſignandi & in arto & inglorius labor eſt. Etſi autem facile intelligamus, quàm gravem quamq; arduam in nos ſuſceperimus provinciam, cui digno exornandæ modo nos impares lubentiſſimè profitemur; tamen & conaminis hujus æquitas, ipſa etiam pietas, qua Univerſitati huic celebratiſſimæ, Almæ ſtudiorum noſtrorũ Nutrici inprimis obſtringimur, Veſtraq; cumprimis, *Auditores Optimi*, benevolentia bene nos ſperare, atq; in inſtituto progredi alacriter jubet atq; impellit. VOS igitur ut ſilentio nobis faveatis, noſtramq; in dicendo imperitiam humanitatis atq; attentionis veſtræ aurâ benevolè provehatis, etiam atq; etiam oramus, ſinite exoremus.

Artem Medicam, quæ tot tantisq; gentem mortalium afficit beneficiis, inter cæteras facilè principem obtinere locum, atq; palmam pluribus aliis præripere, omnes & ſinguli, quibus vel ſemuncia ſanæ mentis relicta eſt, fatebuntut. Iſta enim, ceu Philoſophia ſecunda, corpus non tantùm curat, ſed ipſi etiam animo auxiliatrices affert manus, ſanam in corpus ſanum inducit mentem, & quod omnium rerum pretioſiſſimum eſt, ſanitatem puta ac vitam, hominibus & conſervat integram, & amiſſam illam reſtituit, vitæ noſtræ necisq; Imperatrix Medicina. Quapropter primis ſtatim Emporii hujus literarii initiis prudentiſſimo conſtitutum eſt conſilio, ut præter alias bonas artes, quas conſervare ex uſu Reipublicæ omnino eſt, etiam hujus tam divinæ tamq; neceſſariæ Artis præcepta publicè traderentur. Primus, cui Profeſſio Medica concredita eſt, fuit NICOLAUS TAURELLUS, Med. D. Vir & celebritatis & auctoritatis multæ, tum doctrinæ & experientiæ Medicæ decus eximium: miſſus iſte eſt in hanc lucem, Dei benignitate, anno Epoches Chriſt. exeunte ſupra milleſimum, quingenteſimum, ſeptimo & quadrageſimo, die viceſimo ſexto menſis Novembris, in urbe Mont-

Montbeliardensi in confiniis Alsatiæ & Ducatus Burgundici sita, aëre situq; peramœna, ædificiorum magnificentia & multitudine splendida & celeberrima. Bonas literas cum pietatis fundamentis à primis statim annis in schola patria hausit, inibique latinas græcasq; literas imbibit, ita ut cum ingenio felici cultura accederet assidua & diligens, teneris statim annis ostenderit, quid matura ætas fructuum allatura foret. Post degustatas scholasticas disciplinas, Tubingensem Academiam sedem atq; studiorum alumnam sibi elegit, eoq; ad audiendos celeberrimos Professores abiit; ubi Philosophiæ & Artis medendi studio inprimis deditus, tantum in subtilissimis disciplinis ac Arte illa communi hominum societati oppidò necessaria profecit, ut auctoritate publica ad summum honoris & dignitatis scholasticæ fastigium in Professione Praxiq; Medica evectus, & adhibitis debitis sollennitatibus Medicinæ Doctor renunciatus sit. Cùm ergo diligentia & eruditio ejus passim innotescerent, à Nobilissimo Illustris Reipublicæ Noricæ Senatu honesto stipendio est invitatus, ut in sua, quam Altdorfii RVDOLPHI II Augusti indultu aperuerat, Academia publicè doceret. Quam provinciam summa cura ita ornavit, ut non solùm per viginti annos, & quod excurrit, juventutem studiosam erudiret, sed & diversos eosq; doctissimos libros in Philosophia Prima, Physica & Medicina, suo nomine dignos in lucem emitteret. Quas tamen curas atq; labores omni laude dignissimos morbo quodam vehementissimo afflictus omittere coactus est; corripuit enim eum morborum velut caput & compendium, contagiosa pestilentiæ lues, qua per aliquod tempus lecto affixus detinebatur: & quamvis *Sonerus*, Collega ejus carissimus, nullis laboribus, nullis curis, nullis vigiliis parceret, medicamenta etiam ipse pararet & exhiberet, tandem tamen à Deo immortali, vitæ mortisq; Arbitro Optimo Maximo, ex his miseriis atq; ærumnis ereptus, diem suum obiit Medicus & Philosophus insignis Anno 1606, die 28 Sept. Non tamen totus exstinctus est, sed in scriptis suis pereruditis quotidie in memoria doctorum reviviscit, quorum non pauca posteritati elucubravit. Versantur adhuc in Eruditorum manibus Methodus Prædictionis Medicæ, h.e. recta brevisq; ratio coram

 ægro-

ægrotis præterita, præſentia & futura prædicendi : Annotationes elegantes in Opera Arnoldi Villanovani : Philoſophiæ Triumphus : Alpes Cæſæ, h.e. Andr. Cæſalpini Itali monſtroſa & ſuperba dogmata diſcuſſa & excuſſa : De Infiniti continui ſectione Tractatus : Diſcuſſiones Phyſicæ de Mundo contra Piccolomineum : Diſcuſſionum Phyſicarum & Metaphyſicarum de Cœlo adverſus Piccolomineum libri II : & Emblemata Phyſico-Ethica vario carmine conſcripta &c. Secundum in docenda Medicina locum tenuit PHILIPPVS SCHERBIVS Epiſcopo-Cellenſis Helvetius, Phil. ac Med. D. Vir in Philoſophia & Medicina magnus, imò omni laude & admiratione major; qui ob ſtupendam, qua pollebat, eruditionem ita omnium merebatur calculum ut Anno ſalutis 1686, menſe Septembri, ad Vniverſitatem hanc accedens, non Medicinæ tantùm, ſed & Logices & Metaphyſices Profeſſioni, jubente id Magnifico Dnn. Scholarcharum Collegio, fuerit adhibitus. Quibus Profeſſionibus per plures annos tanta diligentia, fide & dexteritate præfuit, ut non ſolùm vivâ voce Auditores ſuos præſentes, ſed & litera ſcripta abſentes Lectores, gloria non intermoritura inſtitueret. Habemus Diſputationes & Theſes tum Philoſophicas tum Medicas diverſi generis, quas ejus felici debemus induſtriæ : Diſputationes ejus Philoſophicæ exſtant in Philoſophia Altdorfina, quæ curâ & ſtudio *B. Dn. Felwingeri* luci expoſitæ ſunt publicæ, Norimbergæ A. 1644 : quibus ſpicilegii inſtar ſubjuncta eſt elegantiſſima Ejus Oratio de Idoneo Judice earum controverſiarum, quæ in Artibus naſci ſolent, ex ſententia Galeni. Proſtant etiam Theſes Scherbianæ, quæ Ambergæ Anno 1603 à Jo. Schönfeldio excuſæ ſunt : Theſes ejus Philoſophicæ in unum corpus redactæ emendatiùs editæ ſunt Helmſtadii Anno 1659, in forma quam quartam vocant : Theſes Medicas Scherbianas Anno 1614 edidit Caſparus Hoffmanus, dignus tanto Præceptore diſcipulus, qui Scherbium noſtrum per ſcripta ſua, data occaſione, nullis non laudum encomiis ſemper afficit, & ad cœlos usq; extollit : Thomæ Eraſti Commentarium in omnes Aphoriſmos Hippocratis Scherbl manu propria conſcriptum, & 22 Jun. 1576 abſolutum, ſuis MSStis annumerat *Excell. Dn. D. Mauritius Hoffmannus.* Proſperrimo inprimis ſucceſſu

cessu Medicinæ conjunxit Studium Politicum, (cujus rei inter alios etiam auctor & suasor existit magnus *Conringius* in sua Introductione ad Medicinam) in quo tantos fecit progressus, ut Ejus præclaram rerum Politicarum notitiam adhuc hodie doctis omnibus probent Discursus illius Politici in Aristotelis de Politica libros; quibus non modò universa Civilis prudentia, sed arcana quoq; Imperii ac Regnorum, & res præsentis Reipublicæ status, accommodatè pertractantur: typis exscripti sunt publicis Francofurti Anno 1610, f. 8. Hoc scriptum lucernam & oleum redolere optimus quisq;, qui emunctæ naris est, facilè percipit. Verùm cùm vana sint omnia, & quicquid usquam dulce & jucundum est, imò quicquid omnino est in rebus mortalium, & mortales omnes ipsi, non velut somnus, sed velut umbræ somnium, transeant atq; evanescant, Scherbius noster, viribus corporis morbi vehementia attritis, piè exspirans vitam hanc cum morte commutavit die 11 Jul. Anni 1605. Præclaras hujus Viri virtutes & tot laudum copiam, ne ingenii nostri inopia, raram & planè excellentem eruditionem nostra dicentis infantia & mentis caligine ne obscuremus, tacito easdem cultu, ac sacro veluti silentio existimamus venerandas, pictorem imitati sagacem illum, qui velo solebat, quod penicillo exprimere non poterat, obumbrare. Successorem in Medica Professione habuit Scherbius ERNESTVM SONERVM, Phil. ac Med. D. quem ille è multis unum vivus dignum existimabat, qui succederet sibi. Patriam *Sonerus* nactus est Vrbem splendidissimam, mercaturis & Viris Claris toto orbe celeberrimam, Noribergam; Patrem verò Marcum Sonerum, Civem ac Virum Præstantissimum, qui ob virtutes suas egregias à gloriosissimæ memoriæ Cæsare MAXIMILIANO II omnibus, quibus Nobiles nati gaudere solent, privilegiis donatus est. Ab hoc suo parente assiduis obtinuit precibus, ut primis literarum fundamentis laudabiliter jactis, Altdorfium, velut ad bonarum artium mercatum, mitteretur, ubi disciplinarũ illud virtutisq; iter ingressus, honoris ac eruditionis arcem se conscensurum sperabat. Neq; hac spe delusus est: anno enim ætatis quinto & decimo huc à parente ablegatus, tanto ardore atq; felicitate in literarum curriculo perrexit, ut omnes postea suos æquales longo post se reliquerit intervallo.

Qui laudatiſſimi ejus in ſtudiis progreſſus cùm Ampliſſimis hujus Academiæ Patronis innotuiſſent, nulla mora interpoſita in alumnorum numerum receptus eſt; in quo ubi per quadriennium ita ſe geſſerat, ut in morum & literarum incrementis ſuperiorem habuerit neminem, hujus eximiæ ſuæ induſtriæ eximium quoq; tulit præmium, & aureo, uti vocant, ſtipendio ab Ampliſſimo SENATV Norimbergenſi donatus eſt. Qua munifica liberalitate ad ulteriorem excitatus diligentiam, eò in ſtudio Philoſophico, manuducente inprimis incomparabili *Scherbio*, tandem progreſſus eſt, ut ætatis ſuæ anno 23 ſummum in illo honoris gradum maxima cum laude conſecutus, & publicè ab Eloquentiſſimo Viro *Georgio Glaciano* Magiſtri titulo condecoratus fuerit. Quibus honoribus auctus, ut aliis etiam comparato eruditionis ſuæ theſauro prodeſſet, ſingulis hebdomadis ſingulas Diſputationes Phyſicas, in quibus ipſe Præſidis vice functus eſt, privatim habuit. Nec minores in Studio Medico habuit profectus; ſimilia enim hac in arte poſtea tentavit & feliciter perfecit. Cùm autem intelligeret, non parum augmenti prudentiæ ac experientiæ ex peregrinationibus accedere, nonnullaq; etiam ex aliarum gentium ſcholis peti debere, celeberrimas Europæ Academias, ubicunq; de Medica Arte publici mercatus exercebantur, adire conſtituit. Quod ipſius ſaluberrimum propoſitum nullo Fortuna deſtituit modo: inſignis enim ejus eruditio morumq; gravitas duos Nobiliſſimos Adoleſcentes, patricia Noricorum familia prognatos, ipſi conciliavit, qui eum, de conſilio Parentum, ſtudiis ſuis præfecerunt, atq; itineris Belgici, Britannici & Gallici comitem adſciverunt: quibuscum primùm Hamburgum, inde maritimo itinere Amſtelodamum, tandem in nobilem illam Batavorum Academiam Lugdunenſem pervenit, ubi in luce Clariſſimorum Virorum diu latere non potuit, ſed Principibus in re literaria Viris, Joſepho Scaligero, Jano Douſæ, Philippo Marnixio, inter Medicos Jo. Heurnio, Carolo item Cluſio, Paulo Merulæ, Hiſtorico magno, innoteſcens, eorum favorem atq; amorem abunde expertus eſt. Relicta Hollandia in Britanniam venit, ubi Oxonienſem Academiam, & metropolin Angliæ Londinum, per aliquod tempus frequentavit. Ex Britannia retro in Galliam trajecit, ubi perluſtratis urbibus Rothomago, Lute-

tia

tia Parisiorum; Aureliano & Avarico Biturigum, (cujus Academiæ aliquandiu civis fuit) item Lugdunensi ad confluentes Rhodani & Araris emporio, visis quoq; & relictis à tergo Avenione, Massilia, aliisq; nobilioribus Galliæ locis, tandem Italiam, Europæ Paradisum, adiit; ubi primò statim Genua, pòst Mediolanum, tandem Patavium, illud toto orbe nobilissimum Lyceum, eum excepit; in quo tamen diu non morabatur, quod reliqua Italiæ miracula observare animo constitutum habebat. Igitur Ferrariam primùm, deinde Bononiam profectus est: hinc altissima Apennini juga superavit, Florentiam & Senas accessit, donec Romam, orbis caput, ingressus est: ulterius Neapolin petiit, cumq; ibi omnia scriptis Auctorum celebrata oculis usurpâsset, Patavium reversus est, ut incepta ibi studia Medica ad finem perduceret; quô obtentô de reditu in patriam & præmio laborum capiendo cogitabat. Quare ex Italia Basileam Rauracorum veniens, Doctoris in Medicina insignia atq; titulum summa cum laude adeptus, paulloq; pòst Noribergam ad patrios Lares delatus est, annos octo & viginti natus; ibi cum magno omnium consensu in Collegium Medicum, quod Excellentissimis semper Medicis floruit, receptus, per aliquod temporis intervallum Praxin Medicam exercuit, magnamq; inde laudem apud plurimos consecutus est. Cùm deinde vacanti hac in Vniversitate Professioni Medicæ aptissimus haberetur, eidem annô supra millesimum sexcentesimô quintô, comprobante Generoso DNN. SCHOLARCHARVM Ordine, præfectus est. Hanc spartam quàm egregiè ornaverit, inter alia Disputationes ejus, quarum pars magna in Philosophia Altdorfina occurrit, itemq; Commentarius in Metaphysicam Aristotelis, abunde testantur. Cæterum Prælectiones Ejusdem Pathologicas ab anno 1607 usq; ad annum 1611 habitas, typis publicis nondum exscriptas, item Modum Ejus discendi Medicinam, & faciendi locos communes, anno 1609 Auditoribus suis traditum & propria manu scriptum, nec non Commentarium ejus in Libb. VIII. Phys. Aristotelis Anno 1607 manu itidem sua exaratum, videre nobis licuit in instructissima Celeberr. *Dn. D. Mauritii Hoffmanni* Bibliotheca. Verùm cùm illud nobis omnibus compertum cognitumq; sit, quæcunq; vitæ usum sortita sunt corpora, morte dele-

ri, adeoq; hominibus etiam omnibus nullo ingenii ac doctrinæ, nullo generis aut dignitatis, nullo ætatis ac fortunarum discrimine, spiritum aliquando reddendum esse; ita *Sonerus* etiam eo tempore, quo plurimi ejus ope & prudentia indigebant, apostematis genere, quod anthracem vocant, oppressus, vitam per annos novem & triginta laudabiliter actam clausit die 29 mensis Septembris, Anni M DC XII. Mortuo parentavit *Georgius Richterus.* Ordinis ratione jubente oratio nostra se nunc convertit ad nobile illud Academiæ hujus fulcrum, excellens illud atq; amabile decus Musarum atq; Phœbi, CASPAREM HOFFMANNVM, M. D. & P. P. undiquaq; celebratissimum, ac in Facultate sua quondam Seniorem meritissimum; cujus justæ memoriæ ad posteros propagandæ quomodocunq; etiam litare merita ejus postulant amplissima Hic nos jam Tullianum aliquod eloquentiæ flumen nobis inesse optaremus, ut convenienti dicendi genere laudibus ejus explicandis sufficientes esse queamus: verùm cùm optare hoc fas sit, consequi autem non liceat, unica hæc impotentiam nostram solatur consolatio, quod apud Vos, Auditores Honoratissimi, nos dicere animadvertimus, qui eorum, quæ præclarè hac in Academia Hoffmannus vel docuit vel commentatus est & scripsit, maximam partem non testes modò atq; auditores, sed etiam admiratores semper fuistis. Qua consolatione erecti, quæ de vita, studiis, meritis atq; obitu dicenda sunt, qua poterimus brevitate pertexemus, eandem quâ hactenus præstitistis à Vobis attentionem exspectantes. Mortalitatis hoc curriculum intravit Gothæ, quæ civitas est Thuringiæ, nitore ædificiorum ac fortuna sua varia nobilis, nec non aula Serenissimi Principis FRIDERICI, Ducis Saxoniæ &c hodie splendidissima superbiens, Anno Christi M D LXXII, mensis Novemb. die 8, Patre Viro integerrimo Jo. Hoffmanno, ejus civitatis incola; quô tamen primo statim ætatis anno privatus est, DEO interim pupillorum patre vices parentis ipso sustinente. Orbum patre, avus maternus Jo. Leuffer pro filio educatum, & disciplina domestica ad honesta omnia institutum, à pueritia scholæ patriæ admovit, ubi in annum usque decimum nonum commoratus succrescentes ingenii sui dotes, & excelsos indolis conatus, Præceptoribus suis aliisq; in virtutum

scien-

ſcientiarumq; palæſtra decus quærentibus, affatim monſtravit. Hinc in Academiam Lipſienſem, conſilio ſcholæ Gothanæ Re-ctoris M. Jo. Helderi, promtiſſimæ Svadæ Viri & artificioſiſſimi ingeniorum Epicharmi, cum ejusdem commendatitiis ad Virum clariſſimum, Matthæum Dreſſerum, ſeſe contulit, fortuna tamen, uti videbatur, iter hoc non ſecundante: erat adoleſcenti optimo res ſæpe anguſtior, & præter adverſam valetudinem ex conſtitutione loci naturæ ipſius minùs conveniente, haud rarò cum pecunia victui neceſſaria conflictabatur. Poſt ſemeſtre ergo ægrè ibi peractum domum rediit, ubi per totam hiemem Anni M D XCI tam adverſam iterum expertus eſt valetudinem, ut etiam hydropis ingruentis non parva eſſet ſuſpicio; valetudine tamen à Deo reſtituta, Argentinam adiit, qua in Vniverſitate, pædagogiis privatis victum quærens, vitam potiùs toleravit quàm ſuſtentavit: ita plerumq; bonarum mentium ſoror & contubernalis Paupertas eſſe ſolet! Sed illa quantumvis vulgò permoleſta & inamabilis Hoffmanni noſtri fortunam, ad quam deinde evectus eſt, plurimùm apud bonos commendavit, tantum abeſt, ut dedecori ei ac probro fuerit. Alio etiam eum beneficio eadem ſibi obſtrinxerat, digno ſanè commemorari, ut manifeſtum inde evadat, cum illa ſæpenumero multò tranquilliùs ac feliciùs, quàm cum maximis opibus habitari poſſe: dum enim alii voluptates ſectabantur, alii otio diffluebant, alii alia agebant, Hoffmanno noſtro rerum inopia calcar addidit, ut ſtudiis eò tenaciùs inhærendo egregios optimorum Scriptorum libros nocturna diurnaq; manu verſaret; vero enim verius eſt, quod feliciſſimi Poëta ingenii breviter quidem, ſed ingenioſè ac nervoſè admodum, cecinit:

Labor omnia vincit
improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Biennio ibi exacto juſſu Promotorum Noribergam venit, ubi divina dirigente providentia Fautorem nactus eſt ſingularem, Virum Præſtantiſſimum atq; Literatiſſimum, Dominum Matthiam Schilherrum, Inclytæ Reipublicæ Noribergenſis Proto-Notarium, qui ejus virtutum atq; doctrinæ apud Viros Reipublicæ primarios præco effecit, ut menſe Auguſto Anni M D XCV cum ſtipendio & diſcipulis privatis hanc in Vniverſitatem mittere-

teretur, ubi per ſeptennium literis operam ſuam navans, ingenium magis magisq; exſeruit, judiciiq; ac doctrinæ matureſcentis ſigna palàm exhibuit. Florem ætatis non otio, inertiæq; ac luxuriæ dedit, ſed in hac bonæ mentis palæſtra egregiis operabatur artibus: infinita erant, quæ cognoſcere animus ejus atq; indagare ſtudebat; quicquid vaſtiſſimo ſinu rerum mater Natura complectitur, ingenium & ſolertia ejus exquirebat; & bonus aliquando ac utilis civis quo pacto evaderet, qui ſocietati velificaretur humanæ, nunquam non ei ob oculos verſabatur. Docentes audiebat celeberrimos illius temporis Profeſſores, Nicolaum Taurellum & Philippum Scherbium, Medicinæ Doctores, quorum fama & celebritas nominis jam dudum æternitatem conſecutæ ſunt: neq; vivos tantùm Præceptores audire, ſed & mortuos conſulere neceſſarium putabat. Oraculum olim Viro ſapienti, quî vivere optimè poſſet, conſulenti, reſpondiſſe legimus, ſi mortuos colore referret; qua voce invitari ſe ad diligentiſſimam librorum à præclaris hominibus orbi relictorum lectionem intelligebat, moremq; oraculo gerens, non ipſe tantùm iis, quorum libros aſſiduè verſabat, concolor factus optimè vixit, ſed ad optimè vivendum aliis etiam dux & auctor fuit. Hac vitæ conſuetudine quid mirum, ſi cum ſuorum Præceptorum omniumq; bonorum favore ſtipendium etiam Medicinæ Studioſis deſtinatum, cum quo in Italiam proficiſceretur, impetravit? Quæ peregrinatio ipſi tantò extitit felicior, quantò eam ingreſſus eſt prudentior. PatavI, ubi mercatus bonarum artium, inprimis verò Artis Pœoniæ, haberi ſemper ſtatutũ fuit, eminentiſſimos Medicos docentes omni ſtudio audivit, coluitq; fideliter Hieronymum Fabric. ab Aquapendente, Herculem Saxoniam de Marimbettis, Thomam Minadoum, Julium Caſſerium Placentinum, Franciſcum Mantellum dictum Campanam; quibus ducibus etiam Praxi Medicæ manum admovit. Luſtratis dein & reliquis Italiæ partibus rerum conſpiciendarum monumentis claris, cognitionem plantarum eximiam ut & linguæ Italicæ perfectiorem ſibi comparavit. Biennio itinere ſuo magno cum fructu exacto, in Germaniam Anno MDCV reverſus eſt, & Baſileæ præmia laboribus tantis digna exſpectans, iſta pro ſua eruditione aliisq;

inge-

ingenii morumq; dotibus ea cum laude impetravit, ut primo loco inter IV Candidatos Doctor Medicinæ ſollenniter renunciaretur. Quibus honoribus auctus Noribergam rediit, ut Reipublicæ, à qua beneficium & ſtipendium acceperat, gratus operam ſuam offerret eiq; inſerviret: cumque autumno ejusdem anni urbem hanc nobiliſſimam & populoſiſſimam triſtiſſimum morbi genus peſtis magnâ exhauriret ſævitiâ, & in hac ipſa etiam Academia contagioſa illa lues ſerperet, ut paſſim miſta ſenum ac juvenum denſarentur funera, à Nobiliſſimis & Prudentiſſimis Inclytæ Reipublicæ Norimbergenſis PROCERIBVS, nominatim tum *Scholarchis*, tum *Provincialibus*, Medicus peſte infectorum hoc in oppido eſt conſtitutus, argumento divinæ directionis, protectionis, & promotionis luculentiſſimo. Officio enim illo difficili ſolicitudinisq; & periculi pleniſſimo cùm eſſet ita perfunctus, ut ejus promtitudinem & dexteritatem experirentur plurimi, omnes verò boni celebrarent, Profeſſores qui tunc aderant, non modò ſingulari eum favore complectebantur, ſed & condignum judicabant, qui Nobiliſſimis & Ampliſſimis Vniverſitatis Curatoribus commendatus, in locum *Taurelli* piè defuncti, Medicæ Facultatis Profeſſor conſtitueretur. Cui officio quanta diligentia, quanta dexteritate, quanto cum fructu per integros octo & quadraginta annos præfuerit, non eſt ut tenui noſtra oratione exprimi poſſe quisquam exiſtimet, cùm laudes ejus ſummas univerſus orbis Europæus pleno deprædicet ore. Neq; enim inſignis eruditionis ejus gloria intra patrios ſeſe continuit cancellos, ſed ad exteras quoq; penetravit nationes, fama, qua nihil velocius, per urbes & regiones plurimas doctrinæ tam excelſæ nuncium ſtrenuè diffundente: teſtantur id epiſtolæ magno numero undique ad eum perſcriptæ, quæ Harveji, Patini, Bauhini, Servii, Severini, Veslingii, Bucretii, Rolfincii, Conringii, Reineſii, Schlegelii plurimorumq; aliorum erudita omnia & illuſtria Angliæ, Galliæ, Italiæ & Germaniæ Medicorum præ ſe ferunt nomina. Multæ ejus lucubrationes, cedro & immortalitate digniſſimæ, typis exſcriptæ, Virisq; Eruditis notiſſimæ ſunt, nimirum Tractatus Phyſiologici complures, de Vſu lienis, de Vſu cerebri, de Ichoribus. Opus de Medicamentis Officinalibus Pariſiis prodiit anno 1646.

Neque ſine laude prætereunda ſunt Carmina ejus, & Praxis Medica Curioſa, h. e. Galeni Methodi medendi libb. XIV, nova eaque omnium accuratiſſima cum verſione, & perpetuis plus vice ſimplici deſideratis comentariis & caſtigationibus prudentiſſimis, ab Hoffmanno noſtro illuſtrati, qui ante triennium prodierunt Francofurti, curante Sebaſtiano Scheffero, Med. D. Inprimis autem laudari hîc omnino meretur Opus illud imenſum laboris planè Herculei, quô maxima cura & diligentia, ex collatione variorum è diverſis locis petitorum Manuſcriptorum exemplarium, & optimorum commentariorum, Galenum à mendis purgatum, reſtitutum, nitidum nobis dedit; quod adhuc ineditum in muſeo Machaonis Norici, Excell. Dn. D. *Joh. Georg. Volckameri*, ſervatur, lucemq; publicam avidè exſpectat. Plurima alia Hoffmanni noſtri Manuſcripta elegantiſſima hodie Bibliothecæ ſuæ annumerat Excell. Dn. D. *Jac. Pancratius Bruno*, & ipſe de Rep. Medica inſigniter meritus. Hisce immenſis laboribus attritus, extremâq;, cujus onus Ætnâ gravius creditur, ſenectute confectus Hoffmannus, poſtquam ſibi ipſi mauſoleum præſtantiſſimum & perenne, præclaris meritis, virtute ac doctrina ſua, in animis ſuperſtitum & poſterorum omnium paraſſet, ſpiritum ſuum Creatori optimo reddens mortalitatis terminos adimplevit Anno Chriſti M DC XLVIII. Mortuum laudavit modò laudatus *Bruno*. Celebranda nunc venit memoria GEORGII NOESSLERI, Phil. ac Med. D. earumq; in Vniverſitate hac XXXII annorum P. P. Sereniſſimi Principis Palatini & Reipubl. Norimb. Archiatri, Facultatis ſuæ quondam Senioris meritiſſimi. Vitalem hunc aërem is haurire cœpit Berolini, decima die menſis Maji, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo primo. Patre uſus eſt omni virtutum & doctrinæ gloria Celebratiſſimo, maximeq; Reverendo, *Dn. Martino Nœßlero*, Sereniſſimorum quondam Principum JOH. GEORGI & JOH. FRIDERICI, Electorum Brandeburgenſium, glorioſiſſimæ memoriæ, Concionatore Aulico Eloquentiſſimo, Conſiliario Eccleſiaſtico Prudentiſſimo, nec non Capituli Colonienſis Decano Graviſſimo. Suſceptorem habuit ipſum JOH. GEORGIVM, Electorem Potentiſſimum. Pueritiæ annos atq; adoleſcentiæ quàm præclarè

clarè impenderit, ætas firmior oſtendit, quæ tantis non eluxiſſet virtutibus, ſi prima illa rudimenta in otio luxuq; depoſita fuiſſent. Nempe in tenera iſta ætatula usq; ad annum quartum & decimum educatus eſt in ſchola patria, ubi probè hauſtis capitibus pietatis & fundamentis Religionis Chriſtianæ, eò usq; in ſtudiis, quæ humaniora vocant, progreſſus eſt, ut ſæpiuſcule habitis oratiunculis & Domini Parentis & Præceptorum exſpectationi ſatisfecerit. Hinc Hallam Saxonum miſſus eſt, ut in ſchola iſtius loci, quam dexteritas Rectoris M. Jo. Æſchardi, egregii ingeniorum artificis, valde celebrem reddiderat, bonis literis imbueretur: qui laudatus Rector tanto eum amore eſt proſecutus, ut plurimis illum præcipuæ dignitatis hominibus commendaverit; è quibus Nœſslerus noſter ad ſeram ætatem præ aliis laudare ſolebat Dn. Caſparem Goldſteinium, Conſiliarium Magdeburgenſem, Dn. Matthæum Köppenium, ibidem cauſſarum patronum, & Dn. Kilianum Stieſſerum Cancellarium, quem ſemper inſtar Parentis veneratus, ejusq; poſtea, data quavis occaſione, paternum affectum & fidem expertus eſt. Biennio laudabiliter Hallæ conſumto, quòd truculentiſſimum peſtilentiæ malum ibi gliſcere cœperat, domum repetere coactus eſt; ubi tamen non diu ſubſtitit, ſed poſtquam Dn. Parenti vitæ hactenus actæ ſtudiorumq; rationem reddidiſſet, ab eodem Francofurtum ad Oderam, omni ſemper laudatarum artium gloria florentem Academiam, ablegatus eſt. Clarebat tum ibidem Vir celeberrimus, Henningus Arniſæus, ſub cujus præſidio profectuum ſuorum & excellentis ingenii præclarum ſpecimen edidit, diſſertatione de Imperfectè Mixtis, quam cum applauſu totius auditorii defendit. Vix ibi tertium attigerat annum, cùm neceſſitatis ultima lex Patrem ipſi adimeret; cujus quidem jacturam mœſtiſſimo, æquo tamen, tulit animo, ſeq; & ſtudia ſua eò ardentiùs Divino Numini commendavit, cujus etiam immenſa gratia optatum ad finem perduxit. Anno 1610 Wittebergam ſe contulit ſtudio audiendi incomparabiles Viros D. Sennertum Medicum, & Jac. Martini Philoſophum, cujus poſterioris menſa per ſeſquiannum uſus cum adverſa valetudine decertare cœpit; ſalubriorem ergò locum quærens, Francofurtum remeavit, ibiq; valetudini operam dedit, quò etiam ma-

 ter

ter ipſius, ut contagii periculum, quod Coloniæ ad Sprevam ſæviebat, effugeret, ſe receperat. Commodè incidebat in notitiam Illuſtris Dn. Adami Gans, L.B. in Putliz, qui Legatus Principis ſui ad Conventum Electoralem Norimbergæ celebrandum, Noſtrum itineris comitem habere voluit: qui & hoc in comitatu Norimbergam profectus eſt, inde hocce ad Lyceum excurrit, ut in amicitiam Clariſſimorum eo tempore Profeſſorum, Gentilis, Dinneri, Soneri, Hoffmanni, Prætorii, Queccii, Piccarti, Virdungi, ſeſe penetraret. Finito Collegiali hoc Electorum Conventu, obitu matris, utroq; parente fuit orbatus, quo inſolente Fortunæ impetu concuſſus adeò in ſtudiis ſuis non remiſit, ut potiùs ad ea majore cum induſtria continuanda Academiam Juliam elegerit, præſertim cùm Arniſæum, à quo prima Medicæ artis cognitione tinctus erat, eò vocatum fuiſſe intelligeret. Eminebant ibi tunc temporis Jo. Caſelius & Cornelius Martini, quorum diligenti inſtitutione tam clara edidit ſpecimina, ut promeriti honores ſponte ipſi à Dnn. Profeſſoribus deferrentur; à quibus tamen capeſſendis & ætas adhuc immaturior, & flagrans peregrinas luſtrandi oras ardor eum retrahebant. Quare ſuperato graviſſimo, quo Helmeſtadl vehementer affligebatur, morbo, iter in Italiam terrarum pulcerrimam ſuſcepit; cujus incola per integrum triennium permanſit, atq; interea incredibili curioſitate celeberrimas perluſtravit urbes, Venetias, Vicentiam, Veronam, Ferraram, Mantuam, Bononiam, hinc Florentiam, verè-bellam ipſiſmet Italis dictam, illum nimirum Hetruriæ oculum, ac diadema majeſtate rerum ſatis conſpicuum: Florentiâ Senas, Hetruriæ urbem pariter comtam ac celebrem, divertit, ac poſtremò Romam, cujus urbis urbium omnium quondam Reginæ ac Imperatricis miracula & venerandas antiquitates haud defatigata perquiſivit induſtria; maximam tamen temporis partem ſtudiis, quorum ſeriò flagrabat amore, Paduæ tribuit, inprimis etiam Italicæ & Hiſpanicæ linguarum cognitionem exactiſſimam ſibi acquiſivit. Quæ quidem res illum Nationi Germanicæ & Artiſtarum, uti vocant, Univerſitati eum in modum commendavit, ut in Conſiliarium dictæ modò Nationis electus, & pluribus ab eadem vicibus ad Illuſtriſſimum Venetorum Senatum, diverſis in negotiis, miſſus fuerit,

rit; prout egregia teſtimonia à laudata Natione ipſi conceſſa prolixè id demonſtrant, in quibus ideo præcipuè multis extollitur laudibus, quòd controverſum illud negocium de admittendis ad honores Doctorales etiam illis, quibus religio eſſet jurare in Bullam Pontificis, induſtria atque dexteritate ſingulari ad finem optatum A. 1616 perduxerit: quibus omnibus feliciter peractis, in præmium exantlatorum laborum ſplendido Doctoris Medici titulo in eadem illuſtri Paduana condecoratus eſt A. C. 1617. Clarebant tempore illo Paduæ Thomas Minadous, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Proſper Alpinus, Julius Caſſerius Placentinus, Adrianus Spigelius, Rodericus Fonſeca, Benedictus Sylvaticus, Jo. Prævotius, Cæſar Cremoninus; quos omnes ita ſibi devinxit, ut non ſolùm commercium literarum cum eo inſtituerint, ſed frequentiſſimè etiam tam publicè quàm privatim erga Studioſos Nationis noſtræ honorificam ejus fecerint mentionem. Jacobus Philippus Thomaſinus, Epiſcopus Æmonienſis, in Elogiis Virorum Illuſtrium ſcribit, modò laudatum Prævotium cum Nœſslero, Bauhino, Arniſæo, Sennerto, aſt quanta hæc nomina! ſinceram coluiſſe amicitiam. Redimus in viam, cætera, ut cœpimus, benevolentiæ & attentionis veſtræ porrò nobis adſpirante Favonio, oratione explicaturi. Nœſslerus cùm circa Paſcha Anni 1617, ex Italia redux Noribergam acceſſiſſet, nundinas Lipſienſes inſtantes exſpectare decernebat; ut igitur hoc etiam temporis bene collocaret, Altdorfium veniens convictu & converſatione Caſp. Hoffmanni uſus eſt. Vacabat eà tempeſtate, mortuo paullò antè Sonero, Profeſſio Medica & Philoſophica, quam nulli alii majore cum Academiæ fructu obtingere poſſe, quàm Nœſslero noſtro, ob inſignem ejus eruditionem, Hoffmannus cenſebat; quam ſuam ſententiam quoq; cum Queccio & Piccarto, Philoſophis, communicavit. Nœſslerus interim nativo recipitur ſolo, & mox Sereniſſimo ELECTORI commendatus, ab Eodem dextrâ clementiſſimè exceptus, & torque aureo donatus fuit. Poſt hæc patriæ iterum vale dicens, Hallam Saxonum indeq; Magdeburgum conceſſit, ubi conditio non contemnenda apud Cathedrales Magdeburgenſes ei offerebatur; ſed acceptis à D. Remo & Hoffmanno, quibus id à Magiſtratu Norico in mandatis datum erat, literis voca-

toriis, agnitaq; Divina vocatione hoc vitæ genus elegit, atq; Anno 1618 utramq; Professionem, & Medicam & Physicam, Numine favente aggressus est; quo in munere ita stetit, ut omnes labores Academicos cum quadam voluptate & animi alacritate subiret, atq; studiosorum auditorum commoda, quâ poterat intentione, maximè promoveret. Neq; hi sufficiebant honores, sed indies cumulabantur. Nobilissimus enim Senatus Noricus in Collegium suum, quod hodienum ibidem floret, Medicum eum recepit: eodemq; ferè tempore JO. FRIDERICUS Princeps Palatinus Serenissimus eum Archiatrum suum constituit. Salus & dignitas Academiæ hujus summæ ipsi curæ cordiq; semper fuit; estq; hoc inprimis memoratu dignum, quòd tempore primi ejus Rectoratûs, anno 1623, Privilegia Doctoralia Vniversitati huic fuerint concessa. Insignem ejus tum eruditionem tum industriam satis superque probant quamplurimæ ipsius Disputationes Medicæ ac Philosophicæ, aliaq; merita hanc in Vniversitatem & Rempublicam literariam longè maxima. Antequam ad alia nostra progrediatur oratio, non ab re erit sinistræ casum fortunæ memorare, quô Nœslerus pæne oppressus fuisset. Vita humana haud absurdè cum opere musico confertur, ubi notæ, quas vocant, plures atræ quàm albæ, adversa puto plura quàm secunda, apparent: conspicuum ibidem est, dum ascenditur descenditurq;, gradus sæpenumero aliquos transiliri, cantum non mollem ubiq;, sed durum etiam atq; asperum esse, nec in superioribus semper lineis vocem subsistere, sed ad imas sæpius sese demittere oportere; ita cum rebus humanis comparatum esse, ex narratione sequente sole meridiano clariùs elucescet, quam paucis, & quæ ad illam maximè pertinent, expositurі sumus. Anno 1632, quo universa Germania atrocissima feralis belli tempestate percellebatur, Nœslerus in via publica Noribergâ Altdorfium tendens, ab Illyricis Cæsareani exercitus equitibus, unà cum aliis, captus, primumq; Neagoram abductus fuit; ubi barbari ante diversorium, dispositis ordine aliquot truncatis capitibus, novum captivis horrorem ac metum incusserunt, ejusdem fortè experiundæ immanitatis. Inde ductus Ambergam versus, non semel currentes barbaros pone se nudis acinacibus sibi minitantes audivit

capi-

capitis vel uno ictu amputationem, ac minis hisce maximoq; animi angore per duos integros dies excarnificatus est, quibus præterlapsis, ex periculo hoc præsentissimo, ubi vix quatuor aut septem digitis à morte remotus erat, singulari Dei munere & beneficio ereptus est. Ambergâ Bathianus equitum, quos dixi, tribunus eum per suos misit ad Electorem, cui etiam amputata illa capita offerri cupiebat, nisi fœtor intolerabilis prohibuisset. Serenissimus Elector ut Nœslerum vidit, Comiti Altringio commendavit, qui eum humanissimè tractans bono animo esse jussit & securum de lytro, quod ingens & insolens barbarus ille Bathianus exegerat; ex quo tempore in liberalissima captivitate sine omni custodia & obligatione fuit, nisi quòd in castris Cæsareanis & Bavaricis medicinam facere debuit. Quæ quidem adeo ipsi non damnó fuit, ut potiùs prosperitatem inde senserit quàm maximam: cùm enim utroq; in exercitu suâ industriâ & experientiâ varios plurimorum Ducum, Tribunorum, aliorumq; militum morbos profligâsset, plurima inde quoq; magnaq; munera à militum ductoribus est consecutus, & à Duce Wallensteinio torque aureo ingentis pretii donatus fuit; in quem, uti erat Poëta tersissimus, ita lusit:

Captivitatis præmium & decus meæ,
Fridlandio quod debeo, at quanto Duci,
Fortunâ abusus esset ille nî suâ!
Abusa fortuna an fuit Fridlandio?

Post memorabilem illam pugnam Lützensem idem Dux affinem suum, Comitem ab Harrach, & alios Nobiles ægrotos ei commendavit; paucis verò interjectis horis exercitu Saxonico approperante, cùm imperâsset, ocyùs Zwickaviam moverent, ibi in trepidatione rerum suarum satagentes, captiviq; sui immemores, Nœslerum post se Lipsiæ reliquerunt; qui quamprimum potuit Torgaviam se recepit, exspectans occasionem cum mercatoribus Norimbergensibus, finitis nundinis Lipsiensibus, ad suos revertendi. Ac feliciter etiam rediit, cùm ex quinquemestri hac captivitate ultra quingentos florenos aureos secum attulisset. Sed jam de morte ipsius paucis, quæ adhuc dicenda videbuntur, pertexemus. Plerunq; nuncios suos ac veluti feciales mors præmittit, morbos puta multiplices, ne clanculum

culum illam ſemper atq; ex inſidiis pugnare, aut per cuniculos irrumpere, jure queri poſſimus. Ita Nœßlerus noſter ex doloribus podagricis, qui morbus ipſi hereditarius fuit, ſæpe decubuit, quibus malum hypochondriacum cum calculo, inſuper etiam vertigo ſeu Scotomia, cum animi deliquiis, ſeſe aſſociârunt; ex quibus tamen morbis aliquoties iterum convaluit. Cum verò tandem, diarrhæa bis impetus ſuos moliente, viribus dejectus eſſet, atq; podagra ſimul eum affligeret, laſſitudo tanta, cui ἀνορεξία ſe comitem præbuit, corpus ejus totum occupavit, ut omni vitalitate amiſſa, vitæ hujus & miſeriarum ſatur, è fluxa rerum mortalium conditione evocatus fuerit die 9 menſis Julii, Anni M DC L. Mortuum laudadavit Nicolaus Rittershuſius. Epitaphium ejus tale heic loci invenimus: *Georgius Nœßlerus, Berolino-Marchicus, cum Charitatibus ſuis hîc ſitus eſt. Natus die 10 Maji, Anni 1591, denatus Altdorfii die 9 Julii, Anni 1650. Vitæ ſanctimoniam, eruditionis copiam, inſignia merita, quibus Artem Medicam & Philoſophicam per annos triginta & unum ſummè ſibi devinxit Vir Optimus, in famæ templo, quàm in hoc cippo, legi maluit.* Convertit ſe nunc oratio noſtra ad LVDOVICVM JVNGERMANNVM, M. D. & P. P. Virum rei Botanicæ Conſultiſſimum, ac per Europam omnem Celeberrimum. Bono publico is hanc in lucem editus eſt Lipſiæ, in urbe omnis elegantiæ ſede, ac propter Muſarum ſacra ac commerciorum frequentiam celebratiſſima, Anno Æræ Chriſtianæ M D LXXII. Patrem habuit Virum Nobiliſſimum, Conſultiſſimum atq; Excellentiſſimum, Dn. Cæſarem Jungermannum, J. V. D. P. P. Procancellarium, & Seniorem Facultatis Juridicæ in Vniverſitate Lipſienſi. Poſtquam in ætate prima primis literarum fundamentis imbutus eſſet, atque ulteriùs humanitatis rivulos delibâſſet, primò linguarum uſu principum Græcæ, Latinæ, nec minùs Poëſeos ac Philoſophiæ hauſit opes, hinc ad Artem Medicam, ejusq; partes, præcipuè Botanicam, ope privatorum, quos ipſius ſtudiis Dominus Parens præfecerat, Præceptorum, animum appulit; quorum ductu tanta animi alacritate ac ſedulitatis intentione profecit, ut omnium vota præcurreret. His fundamentis Lipſiæ probè jactis, in Academiam Jenenſem, poſt in noſtram Altdorfinam con-

conceſſit, ubi cùm biennium transegiſſet, (intra quod Catalogum Plantarum circa Altdorfium, & in vicinis quibusdam locis ſponte naſcentium conſcripſit, quem poſtea A. 1615 Caſp. Hoffmannus typis exſcribi curavit) Gieſſam fauſto pede adiit; in qua Vniverſitate cùm laudé maximam ex inſigni plantarum notitia ſibi comparâſſet, (pro qua excolenda & ſtudioſorum profectibus hac in parte adjuvandis, hortum inſtruxerat) diſputando etiam & declamando elegantioris eruditionis documenta dediſſet clariſſima, ſummos ibi in Arte Medica honores publico teſtimonio promeruit retulitq;: poſt hæc in Profeſſorum Medicorum numerum allectus eſt, cui profeſſioni per triennium tanta cum laude præfuit, ut fama de peritia ejus Botanica in Angliam usq; percrebuerit, atq; eò in locum Celeberrimi Botanici, Matthiæ Lobelii, ſtipendio non contemnendo invitatus fuerit; cui tamen vocationi, quòd juventuti patriæ operam ſtudiaq; ſua conſecraverat, aures vacivas non præbuit, ſed Germaniæ potiùs prætulit conditiones. Ad deſcriptionem Horti Eichſtetenſis tota in Germania ſamigerabilis, haud vulgarem contulit operam. Acceſſit ad Vniverſitatem hanc altera vice A. C. 1625, ut profeſſionem Medicam Botanicam in ſe ſusciperet; cui quanta fide, ſtudio & induſtria præfuerit, illuſtre teſtimonium præbere poteſt Hortus noſter Medicus per Europam notiſſimus, qui non vernaculis ſolùm, verùm etiam exoticis quamplurimis iisq; rariſſimis ex utroq; orbe allatis plantis, lætè floret, oculosq; & animos ingredientium mirificè recreat exhilaratq;. Certè ita cordi ipſi hæ fuerunt operæ, ut morbus, quo affligebatur, noviſſimus, doloresq; quos ſuſtinuit acerbiſſimos, hoc uno fere nomine moleſti ipſi fuerint, quòd metuebat, hortum non ita fore cultum & adornatum, uti optabat, dum manum admovere ipſe non poterat. Sed nimirum quod ipſe facturus erat ſeminibus plantularum ſuarum, id fata in ipſo meditabantur, ut ſemina in fragili ejus corpore jamdudum jacta, in fructus tandem lethiferos erumperent. Podagricis nempe doloribus à multis jam annis exercebatur; cui tandem malo acceſſit apoſtema criticum poſt febrim malignam, cum eryſipelate, cujus fluxus conſveti ſubitò ſubſiſtentes, gangrænam ſcorbuticam in extremitate pedum produxerunt. Adfuit etiam ſenectus, quæ, ut Comicus ait, ipſa

morbus eſt, & quidem talis, cujus intuitu periculum erat, ne violento ſectionis & aliis, quæ interdum adoleſcentia admittit, remediis, natura effœta, nec ampliùs obſequens morbi violentiæ, prorſus ſuccumberet: factum itaq; lenioribus, quod fieri poterat, donec magis magisq; fatiſcentibus naturæ viribus, ipſo meridie, die 7 menſis Junii, Anni MDCLIII, exſtinctus eſt Senex meritorum pariter ac annorum numero maximè venerabilis. Quàm præclarè etiam poſt obitum de Univerſitate hac fuerit meritus, ſignum dedit clariſſimum voluntas ejus poſtrema, quâ Bibliothecam ſuam commodo inſervire publico ac Bibliothecæ Univerſitatis inſeri voluit. Vitæ genus ſolitarium ſibi delegit, quod ad id idoneis optimum, certè commodiſſimum & à moleſtiis ac ſolicitudinibus bene multis remotum eſt, cælibatum ſcilicet, ab uxorio levamento ita abhorrens, ut tunc demum uxorem ſe ducturum fore affirmaret, ſi quis plantulam aliquam, cujus notitia non foret imbutus, ipſi monſtraverit; quem tamen errorem ſe errare non poſſe, longa exercitatio ipſum reddiderat certiorem. Extollentibus aliis ſolatium, quod ex matrimonio caperent, ille contrà *lectulo cælibe nihil jucundius eſſe* confidenter pronunciabat. Priusquam ad reliqua pertexenda nos conferamus, memoratu omnino dignum erit, quantum ornamenti & ſplendoris Academiæ noſtræ eadem circa tempora acceſſerit. Anno quippe ſeculi hujus quinquageſimo, poſt redditam Germaniæ pacem, urgente Excellentiſſimo Viro *Mauricio Hoffmanno*, Ampliſſimi SENATUS Norimb. munificentiâ, in loco Collegii noſtri maximè idoneo Theatrum Anatomicum apertum eſt, in quo Anatome tam commodè coli poteſt, quàm Romæ olim in magno illo Pacis templo, teſte & præcone Galeno: hanc nempe divinam artem, in Medicinæ nobiliſſimæ decus & ornamentum, non in obſcuro & deformi viſu loco aliquo, aut fumidæ culinæ perſimili, ſed amplo ſatis & ornato, exerceri expediebat. Anno ſeculi tertio & ſexageſimo Hortus Medicus, qui infinita oculorum, narium, aurium etiam, offert delinimenta, tertia parte auctus eſt, ac tam eleganter tamq; concinnè poſita omnia atq; diſtincta ſunt, ut delectationem ſummam ingredientibus afferat, videre lætiſſima ſoli herbaſcentis velut aulæa, comisq; viridantibus, ut Columella loqui-

quitur, cæſariatam terram, variasq; æſtivas pariter ac hibernas plantarum manſiones. Prolixum fuerit commemoratione perſequi ſingula, quæ voluptate incredibili animum perfundunt. Argum ſe eſſe aliquis, quem centum luminibus cinctum caput habuiſſe feſtiviſſimi Poëtæ fabulantur, vel cum illo inter amorum Venerumq; triumviros facilè principe, Catullo, totum ſe naſum fieri jure meritoq; optet, adeo ſe ubiq; multa, quibus ſenſus omnes mirum in modum afficiuntur, offerunt. Pomonæ ac Floræ certamen haud abſurdè dixeris; in quo operoſiùs deſcribendo non erimus nimis nunc ſeduli, cùm feſtinandum nobis eſſe ad cetera intelligamus: modò id ſingularis honoris ergo adjecerimus, geſta eſſe iſta omnia curâ indefeſsâ & inimitabili ſtudio Excell. *Dn. Mauricii Hoffmanni*, Viri ac Medici omni laude noſtra majoris. Sed fini orationis noſtræ imminentes, breviter ea, quæ de vita & morte B. CHRISTOPHORI NICOLAI, Med. D. & P. P. longè meritiſſimi accepimus, trademus. Accepit is vitæ hujus uſuram Norimbergæ A. 1618, à patre viro integerrimo, Michaele Nicolai, ad D. Mariæ æadituo; qui ingenium in filio advertens liberale, ſtudiisq; optimarum artiū capeſſendis aptiſſimum, doctiſſimorum Præceptorum, Dn. Sebaſtiani Curtii ac Dn. Hofmanni, præcipuè verò Viri Plurimùm Reverendi ac Præclariſſimi Dn. M. Joh. Leonhardi Friſchii, informationi, curæq; eum commiſit; quorum ductu, artibus iis, quibus ætas illa ad humanitatem informari ſolet, ritè imbutus eſt. Quo quidem tempore multa, neq; illa vulgaria, ſpectatæ indolis edidit ſpecimina. Ætate jam grandior factus, anno ſalutis 1637, à Patronis, inter quos non poſtremus fuit ejus avunculus, Vir Ampliſſimus, Dn. Wolfgangus Frank, rerum Eccleſiaſticarum atq; Tutelarium Secretarius, Promotor ſtudiorum ſuorum ſi non unicus, ita certè in officiis hisce occupatus, ac ſi eſſet unicus, ad graviores diſciplinas & inprimis Artem Medicam diſcendam, huc Altdorfium ablegatus, & in Illuſtris SENATVS Norimb. Alumneum, fœcundiſſimum multorum magnorum virorum ſeminarium, promotus eſt, Inſpectore tunc temporis Clariſſimo Felwingero. Heic igitur loci doctiſſimos in omni ſcientiarum genere Viros publicè docentes cupidiſſimè audivit, quibusdam etiam ex præcipuis privatim & familiariter uſus, aſſidua

dua illa eruditorum hominum consuetudine effecit, ut insigni optimarum rerum peritia sibi comparata, Disputationem de Methodo docendi & discendi Medicinam, Præside *Casp. Hoffmanno*, publicè habuerit. Anno 1641 Altdorfio digressus, ad ingenii cultum augendum, & exterarum regionum visendarum cupidine flagrans, in Italiam contendit, inque Vniversitate Patavina substitit, ubi Virorum longè Clarissimorum, Benedicti Sylvatici, Joh. Dominici Salæ, Jo. VeslingI, Petri de Marpettis, Jo. GeorgI VirsungI, & Francisci Bonardi, institutione usus est in annum usq; seculi quartum & quadragesimum. Inde in patriam redux, eodem annò de sententia Patronorum, Disputatione Publica de Transmutationibus Morborum, Præside *Georgio Nœßlero*, habita, ad ambiendos summos in Facultate Medica honores animum induxit; ubi non modò ad examina & alia hujus ordinis & honoris Candidatorum documenta, sed ad ipsos honores, ad quos illa spectabant, facilè admissus, & laurea corona in Brabevterio Academico dudum debita, more majorum faustis bonorū ominibus ei decreta, & capiti ipsius tot virtutum ac doctrinæ radiis corusco imposita est. Sequente anno in Collegium Medicum Norimbergense adscitus, & Nosocomii Medicus constitutus est; quo in officio quantis cum molestiis & vitæ non raro discrimine in visitandis ægris, deliris etiam & furiosis, qui, magno numero & sumtu, peculiari in loco sustentantur & curantur, versatus sit, multis adhuc cognitum est atq; perspectum. Postea verò Anno 1654, ab Academiæ hujus Curatoribus in Professoris dignitatem evectus fuit. Judicabant enim Viri Prudentissimi, è tam docti hominis præsentia non minimum splendoris Academiæ accessurum. Nec opinione sua frustrati sunt; munere enim suo, quousq; in vivis esse licuit, egregiè defungi, & quà publicè quà privatim multis prodesse, nunquam destitit. Quemadmodum autem quovis tempore, etiam cùm blandiri nobis omnia nostrisq; servire votis ac desideriis videntur, atq; adeo in medio etiam lætitiæ ac gaudiorum cursu insidias vitalitati nostræ parari, unusquisq;, nisi talpà sit cœcior, videt atq; intelligit; (is enim mortis, eorum quæ nata sunt omnium juratissimi hostis, furor atq; immanitas est, ut *æquo pede*, sicuti Poëta non ignobilis cecinit, *pauperum tabernas Regumq; turres pulset*,

ſet, neq; ætatis ullam , neq; dignitatis ac fortunæ rationem habeat:) ita beatiſſimus noſter Profeſſor cùm hoſtis hujus, mortem puto, inſultus quamplurimos aliquoties fortiter ſuſtinuiſſet, iis tandem impar ſuccumbere, palmamq; cedere coactus fuit. Affligebatur ſæpius doloribus podagricis exquiſitiſſimis, qui non tantùm potentiam omnem remediorum eludebant, ſed noviſſimè etiam nobilioribus & interioribus corporis partibus , imò toti corpori interitum moliebantur : intro enim recedens morbi furor ventriculi appetitum dejecit , ut neq; cibis neq; medicamentis recipiendis eſſet idoneus, febrim ulteriùs & inflationes excitavit, frequentibus deliquiis vires corporis vehementer afflixit tandemq; proſtravit , ut tot adeò tantisq; difficultatibus impar, naturæ debitum perſolverit die 21 menſ. Febr. Anni M DC LXII, Vir , abſit invidia dictis , vita innocentiſſimus , ingenio florentiſſimus & propoſito ſanctiſſimus. Tantis luminibus, *Auditores Honoratiſſimi*, Academia noſtra ſplenduit ſemper, ſplendetq; etiam nunc , eoq; vividiores ſpargit radios, ex quo nobilior iſta Medicinæ portio , myſtica illa Philoſophorum bene medendi ſcientia, illa corpora naturalia miſta ſolvendi, ſoluta coagulandi, hocq; ipſo purum ab impuro per ignem medium ſeparandi, & occultum in corporibus miſtis manifeſtandi, ad medicamenta jucundiora, tutiora & efficaciora concinnanda, ars, *Chymiam* dico, in ea publicè doceri cœpit; cujus profeſſionem primùm heic in ſe ſuſcepit, ejusq; myſteria Artis Filiis ſumma dexteritate atque induſtria hodie pandit Excell. *Dn. D. Jo. Mauricius Hoffmannus*, Mauricii Fil. Præceptor noſter ad tumbam maximè colendus. Plurima adhuc eaq; honorificentiſſima commemorari à nobis & poſſent & deberent, niſi ſatis jam prolixa hæc fuiſſet oratio; itaq; ſermonis noſtri, qui longè meritis tantorum virorum eſt inferior, filum hîc abrumpimus: & quamvis breviſſimè ſimpliciſſimeq; eorum vitam ac mores deſcripſerimus, illud tamen confidimus nos conſecutos eſſe, ut gratiſſimam nominum tantorum memoriam in animis omnium relinquamus.

Interea ad æternum illum bonorum omnium fontem ac ſcaturiginem DEUM, mitiſſimum no-

ſtrum ac clementiſſimum Patrem, ore & pectore toto converſi, gratias Ei pro infinitis beneficiis, quibus Vniverſitatem hanc beare hucusq; voluit, perſolvimus, & ut quamplurimis inposterum quoq; eam cumulet, votis, ſicuti fas eſt, ardentiſſimis ſupplicamus. Faxit Divina Supremi Numinis Benignitas, ut optatiſſimus pacis aureæ ſplendor, nulla nobis tempeſtatum caligine, nullis temporum injuriis eripiatur. Ita pulſo ubiq; & eliminato Marte, optata Muſis ſervetur quies, hujusq; beneficiô ſalutaris veræ fidei propagetur doctrina, Themidis ſacra prudenter pandantur, arcana Æſculapii feliciter recludantur, & Sophiæ myſteria dextrè exponantur, totaq; Vniverſitas majora indies ſumat incrementa, magisq; & magis effloreſcat! Hæc bona, hæc munera Inclytæ huic Academiæ ſolida ac perpetua precari, ſtudio & ardore, quô poterimus, ſemper contendemus.



ORA-



ORATIO V
De
PHILOSOPHIS ALTDORFINIS.

PROGRAMMA.

PRiſcis temporibus, cùm adhuc moribus cenſerentur, non titulis, res humanæ, cùm ſtudia ad uſum, non ad pompam, referrentur, longè majore in pretio ac laude ponebatur Philoſophia, quàm hac noſtra ætate, quâ Diva hæc tam multis deſpicatui eſt ac ſordet, ſordidis tamen ipſis & ignorantibus. Plato Philoſophiam donum & inventum Deorum vocat, Cicero matrem bonarum artium, animi medicinam, vitæ ducem, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, inventricem legum, magiſtram morum ac diſciplinæ. Hæc diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocavit, hæc familias inſtituit, urbes peperit, Respublicas formavit, formatasq; moderari docet. Docet, quæ Magiſtratus deceant imperia, quæ cives ſubjectio, quæ ſagum illuſtret fortitudo, quæ togam prudentia; quomodo juſtitia jungenda ſit cum pietate, clementia cum rigore, majeſtas cum humanitate, potentia cum moderatione. Hæc hominum etiam privatorum mores emendat, actiones regit, affectus moderatur, curas & cogitationes ab incertis fortunæ bonis, ad tranquillitatem mentis & officia vivendi revocat, felicitatem & ſupremum illud quod ab homine exſpectari poteſt bonum, in virtute ac ratione, in animo ponendum ac quærendum eſſe monſtrat. Ac ne quis de Practica *ſolùm loqui me putet, ſanè* Contemplatrix *etiam* Philoſophia *digna eſt ſumma admiratione ac prædicatione. Hujus enim adminiculo, velut alis, ſublevati nos in cœlum evolamus, aſtrorum molem & diſtan-*

tiam metimur, vires percontamur, vias investigamus; mox in sublunarem mundum placidè remissi, caussas sublimium incendiorum, fulminum, fulgurum, tonitruorum, pluviarum, nivium, grandinum, ventorumq; perscrutamur. Inde in terræ globum delati, vallium ima, montium ardua, camporum plana peragramus, & innumeras plantarum, herbarum, florum frugumq; formas, & in his, præter hominem, sanctius *illud* animal mentisq; capacius altæ, *oberrantem cæterarum gressilium, volatilium, reptilium animantium varietatem oculis animisq; versamus. Quin etiam terrarum profunda penetrantes, magnæ matris viscera & sinus excutimus, inq; iis mineralium cunabula lustramus, & quicquid tellus in intimis suis abscondi voluit thesauris ac voraginibus, in lucem protrahimus. Mox in fluminum mariumq; abyssos nos immergimus, & innumerabiles natatilium greges intuemur; ut mortalium oculos effugere nihil videatur ampliùs. Tandem sensus externi ubi deficiunt, animum pæne supra naturam attollimus, atq; ens illud primum ac purissimum, mentesq; illas diviniores & à mortalitatis lege procul semotas, ac totum istum scientiarum ambitum contemplamur, quas mortalibus ipse Deus invideret, si in Deum (ut ajebat quondam Philosophus) invidia cadere posset. O terram felicem, felicem Academiam, in qua hæc Theologiæ manus, fons Jurisprudentiæ, soror Medicinæ, hæc, inquam, disciplinarum omnium altrix, fideliter & accuratè docetur; sine qua, tanquam non jacto ritè fundamento, frustra quis altioribus in scientiis tentabit quidquam. Et verò si ulla Universitas, nostra certè Altdorfina vel eo nomine felix ac beata maximè censenda est, quod inde usq; à suis incunabulis Philosophiæ pariter ac artium, quæ ad humanitatem spectant, Doctoribus ac Magistris affluxerit excellentissimis. Quorum doctrinæ virtutisq; magnitudinem etiamsi nulla exprimere possit oratio; tot tamen tantorumq; virorum laudes*

propè

propè jam ſeneſcentes ab oblivione hominum & ſilentio vindicare conabitur Oratione, quam de PHILOSOPHIS ALTDORFINIS *lotis, quod ajunt, manibus conſcripſit, craſtiniq; pomeridiana prima, remoto commentario, memoriter recitabit Vir-Juvenis ſubacto ingenio, doctrinaq; & virtute nobili oppidò Conſpicuus,* DN. JOHANNES JACOBVS STVRMIVS, *Oettingâ-Rhætus, Philoſophiæ pariter ac Jurisprudentiæ, ſi quisquam, ſtudioſiſſimus. Ad eam benevolè audiendam Vos,* Magnifice DN. RECTOR, Perilluſtres & Generoſiſſimi DNN. BARONES, Excellentiſſimi Celeberrimiq; PATRES ACADEMICI, Nobiliſſimi Eruditiſſimiq; DNN. STVDIOSI, *ea qua par eſt obſervantia & humanitate invito. Dabitis, ſpero, tantillum temporis cùm egregio ampliſſimoq; huic argumento, tum optimo civi & commilitoni veſtro, qui modeſtia, ſtudio, probitate jam ab aliquot annis Academiæ fuit ornamento, quiq; Vobis omnibus, in loco, viciſſim gratificari mecum nullus defugiet.*

MAGNVS DANIEL OMEIS, P. P.

ORATIO.

(Titt.)

SI quid apud priſcos virtutis & ſapientiæ magiſtros unquam ratum firmumq; fuit, ejusmodi vel maximè id mihi fuiſſe videtur, quòd omnē humanarum artium doctrinam uno quodam ſocietatis vinculo contineri exiſtimârunt; quô inter ſe adeò ſint connexæ, implicitæ, colligatæ, ut mutuis auxiliis unam conſtituant diſciplinam, quam primò Σοφίαν, mox vocabulo modeſtiore *Philoſophiam* appellaverunt. Scilicet

quemadmodum Stoicæ pariter atq; Peripateticæ Philoſophiæ ſectatores propè conjunctis ſententiis docuerunt, omnes virtutes uno vinculo contineri, neminemq; virtutem unam poſſidere, quin poſſideat ſimul omnes: ſimili planè complexu diſciplinas conſtrictas eſſe, veteres illi rectiſſimè crediderunt, & quisquis illarum vel unam ignoraverit, hunc nullam verè didiciſſe arbitrati ſunt. Singulæ quidem diſciplinæ ſuis circumſcribuntur limitibus; ſed ſi uſum ſpectemus & exercitationem, omnes inter ſe communicationem habere, nemo ſapientum ibit, opinor, inficias. Vnde & quendam doctrinæ orbem antiqui conſtituerunt, ex diverſis aptum & temperatum ſcientiis, quem græcè ἐγκυκλοπαιδίαν, ipſas verò quas continet diſciplinas, ἐγκύκλια μαθήματα & παιδείας ἐγκυκλίους vocârunt. Hæc eſt nimirum illa *polymathia*, quam permulti vel ingenio vel induſtria deſtituti, ut inutilem planè imò impoſſibilem improbârunt; cumq; receptam ac ſeveram doctrinæ legem evertiſſent, velut effracto oſtio, ſordidi & impoliti ad regias diſciplinas irruperunt. Neq; verò inania ſine facto nomina ſapientes illi nobis obtruſerunt; ſic namq; de Oratoribus Romanæ eloquentiæ princeps, Tullius, *Veteres*, inquit, *illi, usq; ad Iſocratem, omnem omnium rerum, quæ ad mores hominum, quæ ad vitam, quæ ad Rempublicam pertinent, cognitionem & ſcientiam, cum dicendi ratione jungebant.* Philoſophorum quoq; coryphæus, Plato, in Protagora de Sophiſtis ſcribit, illos *Arithmeticen, Aſtronomiam, Geometriam, Muſicam, Civilem quoq; ſcientiam & Oeconomiam docere conſueviſſe; Simonidis deniq; & aliorum Poëtarum verſus, ſumma diligentia ab illis explicatos eſſe*, idem teſtis eſt. Sed quid vetera & externa exempla conquirimus, cùm recentium & domeſticorum copia ſuppetat? Noſtra enim Germania, quid verò Germania? hæc noſtra Altdorfina, ex quo primùm ſingulari *Illuſtris* REIP. NORIMB. *Procerum* conſilio fuit inſtituta, alios aſſiduè ex aliis Viros multiplici eruditionis & ſcientiæ laude Clariſſimos perpetua quadam ſerie propagavit, cùm in Facultatibus, uti vocant, aliis, tum vel maximè Philoſophica; Viros, inquam, πολυμαθεστάτους, de quorum laudibus conſtitui hodierno die diſſerere, non ut eas quidem ſingulatim percenſere omnes ac flore orationis conveſtire conarer,

rer, (quod imperare iniquum esset & suscipere temerarium) sed ut ex earum innumerabili copia pauca quædam seligerem, atq; hoc ex amplissimo loco *Vobis* audientibus explicarem. Adeste igitur animis, DD. & AA. mihiq; res pulcherrimas brevi oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem ne denegate!

QVemadmodum autem, qui in bivium aliquod incurrunt viatores, subsistunt, animiq;, ut Plautino verbo utar, incertantur, quæ potissimum sit insistenda via, tandem ubi diu multumq; dubitarunt, quòd Hermes non esset, qui, quà compendio irent, monstraret, regiâ pergunt, & rectâ progrediuntur; ita hîc mihi faciendum video. Cùm enim in uberrima hac amplissimaq; materia variæ mihi pateant semitæ, adeò, ut unde incipiam, ubi desinam, quid inprimis dicam, facilè non inveniam; isthac placet procedere via, ut de Habituum, quos vocant, Instrumentalium primùm, pòst de Principalium Doctoribus Philosophis in hac Vniversitate quondam Clarissimis, verba faciam. Atq; ut ab *Oratoria* exordiar, inter illos, qui heic Altdorfii studia juvenum Eloquentiæ doctrinâ foverunt, primi fuerunt VALENTINVS ERYTHRÆVS & GEORGIVS GLACIANVS. *Oratoriæ Professores.* Quorum ille hanc in lucem editus est Lindavii, ad lacum Bodamicum, A. C. 1521; ubi in Parentum pariter ac Musarum sinu educatus, cùm didicisset pietatis artiumq; bonarum rudimenta, missus est Argentoratum. Hic postquam solidiùs esset institutus, Wittebergam se contulit, usùsq; Præceptoribus Luthero, Philippo, aliisq; Viris Excellentibus, reversus est Argentoratum, factusq; primùm Præceptor Classicus, deinde Joh. Sturmio adjunctus est, & locum Professoris præcipui obtinuit. Ista ex schola ab Inclyto Senatu Norimb. huc A. 1575, ad regimen Lycei Altdorfini vocatus est, cui paulum supra dimidii anni spatium præfuit. Cœpit namq; gravi cum morbo conflictari, quem cùm multi putarent jam desæviisse, tandem accedente plevrisi, & acutis circa diaphragma compunctionibus, piè exspiravit, anno seculi superioris sexto & septuagesimo, ætatis autem quinquagesimo quarto, climacterico videlicet novenario sexto, quem sibi ominosum esse perpetuò dixerat. Oratio ab eodem habita, cùm

sollenni ritu novum hoc aperiretur Lyceum III. Kalend Jul. CIↃ IↃ LXXV, inserta est Libro, Norimbergæ A. 1576 publicè typis exscripto, cui titulus: *Introductio novæ Scholæ Altdorfianæ Norimbergensium.* De eruditione Viri testantur edita ac relicta ab eodem scripta, qualia sunt: Partitiones Orationum Ciceronis, Libri quatuor de Grammaticorum figuris tam singulorum quàm constructorum verborum, ac de Periodis, unus de Vitiis Orationis, ac tres de Ratione legendi, explicandi & scribendi Epistolas. Quibus hisce posterioribus præfationem Joh. Sturmius, Orator celebratissimus, præfixit, inter alia hæc continentem verba: *Laude dignus est Erythræus, qui, quæ præceptis traduntur breviter atq; obscure, ea ipse solvendo demonstrat explicatè atq; apertè, doctus & instructus Aristotelis, Ciceronis, & Hermogenis, Græcorumq; doctrinis.* GEORGIUS autem GLACIANUS, patriâ Vilseccensis, munus heic docendi suscepit & auspicatus est prid. Non. Jul. 1575, Oratione tersa, quam legere pariter licet in modò dicto *Introductionis* libro. Successit Erythræo in honorifica tradendi artem Oratoriam provincia; & Philosophiæ Magister renunciatus est hac ipsa in Academia A. 1581, die Apostolis Petro & Paulo sacra. Qua prima in panegyri Philosophica Promotor id temporis ac Decanus, Vir Nobilissimus, *Joh. Busereut*, JCtus, his verbis publicè suum alloquebatur Candidatum: *Et tu, Dn. M. Georg. Glaciane, Oratoriæ facultatis Professor eloquentissime, qui eloquentissimos Oratores nostro seculo, ut audivisti, ita eos imitaris; Sturmium præsertim nostrum, quem ambo præceptorem & colimus & observamus: nihil dico de summo illo Matthæo Dressero, nihil de Erythræo piè defuncto, nihil de aliis, quos alibi habuisti præceptores &c.* Obiit Vir de juventute insigniter meritus A. C. 1607, ætatis octavo & quinquagesimo. Præter Par hoc nobile, inter Rhetores primos Clarissimosq; Academia nostra habuit M. GEORGIUM MAURICIUM, Wittebergensem. Natus is est A. C. 1570, d. 20 Maji. Adolescens adhuc, Patre, tum temporis Scholæ Stirensis in Austria superiore Rectore, usus est Præceptore; ab eodemq; (quod rara contigit felicitate) bene vivendi rationem hausit, à quo & vitam acceperat. Crescente cum ætate judicio, in Academiam hanc se contulit, anno prioris seculi octavo & octogesimo, Rectore M. *Matthia Bergio*, cui privatim

à Pa-

à Patre commendatus fuerat, publicisq; Doctoribus ſedulam dedit operam, & per omnes liberalium diſciplinarum campos tranſiens, ea ſibi decerpenda & colligenda putavit, quæ ad uſum adminiculo ſibi fore proſpiciebat. Poſt illa, cùm virtus nunquam ſui cultorem in occulto latere & ſitum contrahere ſinat, anno nonageſimo ſecundo, Decano Viro Excellentiſſimo, *D. Philippo Scherbio*, Magiſterii inſignibus fuit decoratus; tandemq; miſſione è claſſibus, in quibus per ſeptem ac viginti, & quod excedit, annos, ſumma dexteritate, pari fide, deſudaverat, impetratâ, ad publicam profeſſionem anno hujus ſeculi vigeſimo tertio ſibi demandatam, maximo cum Academiæ applauſu acceſſit. Rector denique Vniverſitatis concordibus omnium ſuffragiis d. 29 Jun. anni trigeſimi primi electus, provinciam illam in mediis bellorum turbis non fortiter minùs quàm prudenter adminiſtravit, donec oneri ſuccumbens, die 5 Decembr. in febrem incidit continuam, quæ illi tandem vitæ finem attulit. Ex Oratoribus porrò noſtra fovit Palæocome MICHAELEM VIRDVNGVM, Virum cùm cæteris omnibus, tum eruditionis & ſcientiæ laude clariſſimum; quem prima gremio & ſinu ſuo excepit Kittinga Franconiæ, anno ſuperioris ſeculi quinto & ſeptuageſimo, honeſtiſſima gente editum. Vt taceamus Propatruum ejus *Joh. Virdungum*, Mathematicum Clariſſimum, & à Divo CAROLO V Imp. iis inſignibus, quibus & *noſter* uſus eſt, donatum; Patrem habuit *Matthæum Virdungum*, Senatorem Kittingenſem, Fratres *Wilhelmum* Prætorem ibidem, & *Paulum* Medicum ac Mathematicum *Berneggero* laudatum. Noſter verò *Michael* jactis in patria pietatis ac bonarum artium fundamentis, Argentinam primò ſtudiorum cauſa migravit, in quo Muſarum domicilio, juris civilis diſciplinæ, politiorem literaturam, antiquitatis & recentioris hiſtoriæ theſaurum, eloquentiæ potentiam, amœnitates deniq; Poëtarum, ſumma junxit felicitate. Inde Jenam conceſſit, ubi ſub finem ſeculi, anno nonageſimo ſeptimo, nihil tale ambiens, ab ampliſſimæ dignitatis Viro, *Nicolao Reuſnero*, velut ingenii & poëſeos palmam meritus, more majorum, laureâ coronatus eſt. Jenâ diſcedens in Bohemiam & Moraviam abiit, datus Ephorus magnæ indolis Filio, Illuſtris Dn. *Si-*

gismundi L.B. à *Smersiz*, quem variis negotiis districtum, curâ ac diligente filii informatione admodum sublevavit. Elapso ferè biennio, honestissimè dimissus, Norimbergam venit, Inclytæ Reipublicæ studia sua modestè obtulit, & commendatione Dnn. Professorum, anno seculi nostri quinto, mense Januario, Eloquentiæ P. P. nuncupatus est. O quam erat Virdungus noster eloquens! in dicendo qui vigor? qui stimuli? quæ majestas gravitasq;? Tam enim apertè, quæ prima virtus est eloquentiæ, sensa mentis explicabat, tam distinctè, tam aptè, tam ornatè cuncta eloquebatur, ut in ejus facie faciem eloquentiæ, vim in pectore, svavitatem in ore, totoq; in corpore totam integramq; eloquentiam habitare, eum audientibus fuerit visum. Atq; uti melleus Orator, ita excellens erat Historicus pariter ac Politicus: prout infrà, loco suo, pluribus sum dicturus. Nunc enim ad PHILIPPVM CAROLVM, Neoburgicum, mea sese convertit oratio; qui, licet in Pontificiorum castra tandem transierit, laude tamen sua minimè est defraudandus, ob præclaram in Philologicis eruditionem atq; doctrinam, quam satis superq; comprobant egregia ingenii ejus monumenta. Reliquit enim Varias lectiones, Novarum Lectionum Prodromum, Trigam Solœcismorum Politicorum, Sceptrum Judæ seu Dissertationem de Rep. Ebræorum, Gustum Philologiæ sacræ, quo sacratissima Passionis Dominicæ Historia ex Ritibus antiquis illustratur, Orationem de Criticis, Animadversiones in A. Gellium & Curtium, ac plura alia; diemq; suum in Austria obiit A. 1639. Sed nec longiore silentio præterire possum M. JACOBVM TYDÆVM, Virum græcè & latinè doctissimum, qui editus in lucem Pyrizii Pomeraniæ, anno à Nato Christo 1572, d. 25 Julii, parentibus honestis illis quidem at pauperculis, cum adversaria studiorum, paupertate, ab ipso ineuntis ætatis principio est conflictatus; quam tamen patronorum beneficentia sublevatus vicit, adeoq; superior evasit illô Alciati:

Ingenio poteram superas evadere ad arces,
me nisi paupertas invida deprimeret.

Tubingensem inprimis Vniversitatem studiorum causa tribus adiit vicibus, in qua tandem supremos in Philosophia honores

res eſt adeptus. In Auſtriam inde digreſſus varias in illa regione obiit functiones ſcholaſticas, usque dum anno ſeculi quarto & vigeſimo, edictô Cæſareô per omnem Auſtriam promulgatô, cuncti eccleſiarum & ſcholarum orthodoxarum Doctores & Magiſtri, domo, patria, fortunisq; omnibus carere, & poſt diem inde octavum, ſolum vertere juſſi ſunt. Norimbergam igitur anno ſequente delatus, Nobiliſſimis ac Prudentiſſimis *Dnn. Scholarchis* operam ſuam obtulit, præſtitoq; Senatui Academico juramento; *M. Jacobo Brunoni* in claſſe ſecunda Gymnaſii cum Univerſitate tunc conjuncti, ſucceſſit; año auté ſeculi vigeſimo octavo primæ claſſi præfectus, & año 33 ad Profeſſioné Oratoriæ & Poëtices admotus eſt; quam non ſine ſingulari induſtria, φιλοπονία & φιλανθρωπία ad finem usque vitæ, quem nactus eſt A. C. 1655, adminiſtravit. In cujus piè defuncti locum anno ſequente ſubrogatus eſt JOH. CONRADUS HEDENUS, Vir inſigni eloquentia & orationis ſvavitate ſingulari ornatus; de quo cùm ex hoc ſplendidiſſimo ad dicendum loco haud ita pridem plura laude digna enarrata fuiſſe recorder, prolixiùs nunc ea repetere animus non eſt; præſertim cùm nos jam ad ſe vocare videatur dignationis, dum viveret, ampliſſimæ, magnæq; Vir eruditionis, M. CHRISTOPHORUS MOLITOR, qui natales accepit in Incluta Noriberga, die XI Junii, anno 1627; ibidemq; poſtea ſingulari felicitate nactus eſt optimos ſtudiorum moderatores, *Georg. Schröderum, Joh. Riednerum*, & *Joh. Gravium*; ac porrò hic Altdorfii Viros Excellentiſſimos, *Joh. Paulum Felwingerum, Chriſt. Adam. Rupertum, Theodoricum Hackſpanium*; in cujus poſtremi ædes, impetrata priùs præclara Magiſterii dignitate, receptus, per triennium & amplius, ab optimi hoſpitis viva voce & familiari conſortio pependit; tandem verò *Johannis Buxtorfii*, Ebraicè-doctorum illo tempore facilè principis, ſalutandi gratia, Baſileam contendere decrevit; in itinere autem Tubingæ, Viri eruditionis & meritorum ſplendore eminentiſſimi, *Dn. Thomæ Lanſii*, blandis alloquiis & monitis detentus, in formandis ſtudiis Ethicis, Politicis, Hiſtoricis, Juvenum quorundam ſummo loco natorum adprimeq; nobilium, quos inter extitere Illuſtriſſimi Comites ab Oettingen, Comites à Caſtell, Barones à Regal, aliiq;, fidelem præſtitit operam.

Vid. ſupr. in Orat. de Theol. Altdorf. pag. 36.

Poſt

Post exactum ibi sexennium & quod excurrit, ad patrios Lares famam singularis eruditionis & acris diligentiæ attulit; quâ permoti PROCERES NORIMB. præter Orientalium lingvarum, tandem etiam Eloquentiæ Professionem benignissimè ei demandârunt: quam spartam honorificam ita ornavit, ut auditores in sui admirationem rapuerit, ac *B. Dilberri*, magni amici sui, parentatione doctissima laudator extiterit eloquentissimus. Sed jam tempus est, ut ad *Græcam linguam*, quæ omnium artium & doctrinarum vehiculum non immeritò appellatur, mea dilabatur oratio; quam hoc in Athenæo optima & facillima ratione primus omnium interpretatus est M. GEORGIVS GLACIANVS jam antè à nobis laudatus; cujus Epitaphium heic modò liceat inserere: *Sub hoc tumulo pie defunctus vitam beatiorem exspectat olim insigni eruditione & rerum usu clarus, Dn. M. Georgius Glacianus, Vilseccensis, & Academiæ hujus Altdorfinæ Græcæ Linguæ quondam Professor publicus. Obiit in vera Filii Dei invocatione I. Aug. hora XII meridiana, Anno Christi* 1607, *ætatis verò* 58; *cujus memoria jam est in benedictione. Hoc monumentum, in amoris & honoris testimonium & orbitatis solatium, relicta vidua, Catharina Heldmennin, poni & imprimi curavit Anno — Mense — Die &c.*

Græcæ Linguæ Professores.

Glacianum secutus est HEINRICVS RISIVS, Wertheimio-Francus, natus Anno 1531. Hic artium optimarum fundamentis in patria schola jactis, præclaram in omni humaniore literatura eruditionem, quam ex institutione summorum virorum, cumprimis verò Clarissimorum duorum Germaniæ luminum, *Philippi Melanchthonis*, & *Joh. Sturmii*, consecutus erat, superstruxit. Quorum illius quidem scholas in Wittebergensi Academia, per quadriennium, hujus verò in Argentinensi, per triennium, sectatus est. E quibus postquam exiverat, insignis, quam ex tantorum virorum ore acceperat, eruditionis copiam, vicissim cum juventute artibus liberalibus dedita, diversis in locis, Norimbergæ cumprimis, summa fide ac diligentia, incredibilique scholasticorum laborum tolerantia, communicavit. Postea verò ab Inclyto Senatu Norimb. in Academiam hanc missus, ac primùm quidem Viri longè doctissimi *Hieronymi Wolffii* exemplo, regendis Alumnorum Noricorum studiis præpositus, deinde verò, pluribus in officio illo exactis annis, publicorum

Lycei

Lycei hujus Profeſſorum ordini adſcitus, Homeri potiſſimùm publicè interpretandi provinciam ſortitus eſt. Qua in muneris functione quanta dexteritate ac fide verſatus ſit, non ſolùm ex Clariſſimorum Virorum teſtimonio conſtat, è quibus celebris quidam Theologus, *Riſium*, ſcribit, *olim præceptorem habui, Homeri Iliada privatim interpretantem : audiviſſes captum oculis omnia Homeri recitare ad unguem &c* ſed ex eo etiam, quod A. 1585 Ampliſſimi Ordinis Philoſophici juſſu & voluntate, Magiſterii honor, ſine omni ſumtu & expenſa, Examinis etiam tam publici quàm privati neceſſitate ipſi remiſſa, in teſtimonium eruditionis haud quaquam proletariæ, laborumq; & ſtudiorum, quibus juventutem jam tum ſibi demeruerat, compenſationem, ultrò ipſi delatus, & inter novem doctiſſimos competitores, primus illi locus tributus fuerit. Mortuus eſt anno ætatis octavo & ſeptuageſimo, ſeculi hujus nono. Hujus vicem ſupplevit M. GEORGIVS QVECCIVS, Norimbergenſis, qui anno ſalutis 1561, hoc in vitæ theatrum prodiit, ex eoq; anno hujus ſeculi vigeſimo octavo ad æterna beatorum gaudia læto exiit animo, poſtquam ultra quatuor annorum decades partim claſſico, partim publicè profitendi munere, ſummò cum ſtudioſorum fructu ſummaq; cum ingenii ſui celebritate, perfunctus eſſet. Ordinis me jam ducit linea ad excellentis doctrinæ Virum, M. JACOBVM BRVNONEM, cui profeſſio publica Græcæ Linguæ in locum *Queccii* piè defuncti à Nobiliſſimis Vniverſitatis noſtræ Patronis fuit concredita. Celebrem huncce virum ducatui Megaloburgico acceptum ferimus, in quo non modò vitalem ſpiritū A. 1594 hauſit, ſed & poſtea literarum amorem imbibit; quô impulſus ad præclariſſimarū rerum cognitionem adipiſcendam, omnem ſibi diligentiam ſuſcipiendam, omnem laborem perferendum, omnem deniq; aliarum rerum curam ex animo ejiciendam exiſtimavit, ſtudiorumq; ſuorum curſum Roſtochii, Coburgi, & hîc locorum, eò perduxit, ut anno ſeculi vigeſimo primo gradum Magiſterii, Decano Viro Clariſſimo, *Georg. Queccio*, nullo impetrârit negotio, ac tanta quidem cum exiſtimatione, ut anno vix dum elapſo Inſpectio Alumnorum Noricorum, & anno proximè inſequente, Vicariatus in Gymnaſii claſſe ipſi demandatus fuerit; quem anno quarto pòſt excepit Profeſſio publica, cui

per omnem deinceps vitam ita præfuit, uti non modò sibi multum gloriæ & nominis per orbem literarium paraverit, sed & academiæ ipsi ingens ornamentum ac decus conciliârit. Pro quo mortuo loquantur Notæ in Agapetum de Officio boni Principis accuratissimæ, quas post obitum ejus edi curavit Filius Excellentissimus *Jacobus Pancratius*; in cujus manibus etiam nunc hærent Exempla Virtutum & Vitiorum in Illustribus hominibus Diisq;, quorum meminit Homerus; Dodecas Epistolarum SS. Græco-Latinarum, cum totidem Epigrammatibus super Locos Theologicos, Analysis & Loci Communes in Epistolam Pauli ad Titum; aliaq; plura scripta à Viro Eruditissimo relicta, quorum infrà pariter fiet mentio. Porrò cum tanta sit *Linguarum Orientalium*, inprimis Ebrææ, non solùm jucunditas, verùm etiam necessitas, majestas & utilitas, ut qui Biblia Ebræa legere, is DEUM ipsum, Patriarchas & Prophetas audire videatur docentes; jure meritoq; Patres patriæ Prudentissimi, ad eam ritè excolendam & propagandam, alios ex aliis adsciverunt Viros Ebraicis literis pulchrè eruditos; quorum agmen duxit M. GEORGIUS PFALERUS, Norimbergensis, Diaconus Ecclesiæ hujus & Professor Theologiæ ac Linguæ Sanctæ; quem Decanus D. *Joh. Busereut* in Actu Promotionis Philosophicæ his compellavit verbis: *Quia tu, Reverende Dn. M. Georgi Pfalere, professione Theologus es; natus patre Theologo, Reverendo Dn. M. Leonhardo Pfalero, (quem honoris & observantiæ causa nomino) viro bono, honesto, moderato, publicæ tranquillitatis studiosissimo, literarumq; elegantia & doctrina rara prædito, præclarè etiam de Rep. & Ecclesia Norimb. merito: quem ob hæc ipsa animi & ingenii bona, singulari cura, lumen illud Germaniæ, Philippus Melanchthon sanctæ memoriæ, Nobili Viro Dn. Christophoro à Knobelsdorf, locum tenenti in regimine Onoldino, diligenter anno 1545 commendavit: quoniam, inquam, professione Theologus es, sanctæq; Linguæ in hac Academia nostra interpres peritissimus; dic nobis, quantum fieri potest, breviter & perspicuè, quomodo dictum Prophetæ Esaiæ Cap. 1. ubi dicit: Convertimini, si peccata vestra fuerint ut coccinum, & ut vermiculus, eritis candidi sicuti nix & lana; intelligendum sit! &c.* Pfalerum excepit Vir maximè Reverendus & Nobilissimus, Edo HILDERICUS de Varel, Nobilis Jeverensis, S. Theol. & Linguarum Orient. Doctor; nec non M. DA-

Lingv. Orient. Professores.

Vid. supr. Orat. de Theolog. Altdorf. pag. 23.

De Hilderico vid. supr. in

M. DANIEL TALIVS, Erfurtensis, Extraordinarius S. Linguæ Professor; de quibus prolixius verba facerem ac lubens, nisi orationem meam ad se raperet & quasi absorberet Vir admiranda rerum artiumq; scientia ad invidiam usque ornatus, M. DANIEL SCHWENTERVS. Cui anno redemti mundi 1585, mense Februario, vivendi exordium dedit Norimberga, omnium Imperii civitatum splendidissima; ubi à pædagogis intra privatos lares primis institutus elementis, cùm vix pueritiam evasisset, publicæ commissus institutioni, & Solisbacum, nobile tum temporis bonarum artium emporium, ab optimis parentibus fuit ablegatus; quo in loco, non Latina solùm sed Græca etiam lingua sibi jam conciliata, ipsius Spiritus S. idiomatis miro teneri cœpit amore: qua quidem in re virum consecutus est celeberrimum, & immensa multifariarum linguarum scientia præclarissimum, *Eliam Hutterum*, à quo ad pleniorem linguæ sanctissimæ cognitionem est perductus. Inde discedens Altdorfium concessit, & linguæ sacræ alias insuper, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, cæterasq; artes liberaliores addidit, in quibus brevi temporis spatio tantos effecit processus, ut honoribus magnis dignus ab omnibus judicaretur. Anno igitur 1608, in locum fugitivi *Julii Conradi Ottonis* suffectus, summa non tantùm reverentia suscepit publicam S. Linguæ professionem, sed & tanta cura & industria elaboratam dedit & ornatam, ut elapsis aliquot annis, linguas alias, easq; Orientales præcipuas, profiteri ab Incluto REIP. NORIMB. Senatu juberetur. Minimè tamen hoc satis erat; majores tanta virtus honores sibi poscebat, & qui Ebraicam, Chaldaicam, Syriacam publicè docebat linguas, publico etiam decorandus erat præmio; jubente igitur eodem Senatu Amplissimo, trium dictarum linguarum Poëta, à Magnifico tum Universitatis Pro-Cancellario, DN. JOH. CHRISTOPHORO OELHAFIO publicè proclamatus & renunciatus est anno 1629. Neque verò sine præclarissimis hoc in studiorum genere literarum monumentis decessit Schwenterus noster: reliquit enim Manipulum linguæ sanctæ, de Talmud Judæorum orationem, de Pronunciatione Consonantium Ebraicarum tractatum singularem, aliaq; plura subacti ingenii sui documenta, quæ inferiùs à me recensebuntur. Nunc enim THEODORICVM HACKSPANIVM

Orat. de Theol. Alltd. pag. 23. 24.

De hoc Ottone vid. supr. p. 12.

NIVM commendandum existimo: qui maximo animo & indefesso studio Ebræam Linguasq; alias Orientales ita ab ipsa adolescentia tractavit usque, ut eam cognitionem doctrinamq; sibi paraverit, quæ quàm paucissimos æquales, vix quenquam superiorem habere videretur. Sed cùm laudes Viri omni laude majoris, in Oratione de *Theologis*, fuerint decantatæ, nolo hic apponere crambenbis coctam. Neque CHRISTOPHORI etiam MOLITORIS, qui beatè defuncto *Hackspanio*, Præceptori quondam & Hospiti suo successor fuit datus, summam in hoc literarum genere eruditionem satis cùm laudare valeam, hoc solùm, quod superiùs omiseram, addere nunc liceat, isthunc suis charum, academiæ desiderandum, omnibus lugendum, fusis ardentissimis ad Servatorem suum precibus, d. 12 Junii, anno seculi septuagesimo quarto, placidè obdormivisse. Verùm ne abutar patientia vestra, Domini & Auditores, qua me attentissimis animis summa benevolentia adhuc attendistis, veniam ad *Historiarum* Professores longè Clarissimos, quos inter primus occurrit JOHANNES THOMAS FREIGIVS, Vir & Juris & historiarum & antiquitatis peritissimus; cujus laudes quoniam ab amico quodam studiorumq; socio singulariter dilecto, ex hoc ipso jam loco, cùm Altdorfina Jurisprudentiæ Lumina prædicarentur, sunt recensitæ, verbum non ampliùs addam; video enim orationem meam in longum nimis excrescere. Proximus ab eo locus debetur CHRISTOPHORO COLERO, Franco, itidem JCto, qui tamen Musis Noricis maturè vale dixit, annoq; ævi nostri quarto in Austria decessit, relictis Parergis, & Epistola de Studio Politico adornando, scripta ad Generosum Juvenem Stanislaum Zelenium Vitellium, de Zelanka &c Anno 1601. Edidit hanc Epistolam emendatiorem H. Conringius, unà cum Gaspar. Scioppii Pædia Politices, & Gabr. Naudæi Bibliographia Politica, illamq; in Præfatione *elegantem ac nitidam* appellat. *Coleri* in locum suffectus est ARNOLDVS CLAPMARIVS, Bremensis, qui cùm literis supra omnium exspectationem vacâsset, cùm Germaniam, Angliam, Belgium, aliasq; regiones perlustrâsset, cùm res militares miles ipse didicisset, & jam maturos fructus ostenderet, ac operam suam florentissimæ Reipubl. & Academiæ Norimbergensi per quadriennium devovisset; cùm denique erudi-

Supr. pag. 34. 35.

Historiarum Professores.

Vid. supr. pag. 42. 43.

eruditionem ſuam, publicis ingenii monumentis, ad invidiam usque teſtatam feciſſet, in ipſo ætatis rerumq; ſuarum flore, anno videlicet ætatis trigeſimo primo, hujus verò ſeculi quarto, exſtinctus, omnibus eruditis dolorem, Parenti luctum, fratribus deſolatis æternum deſiderium, conditionis humanæ & omnium virtutum luculentiſſimum reliquit exemplum. Quæ de ipſo pæne omnia depromta ſunt ex Epitaphio ejus, libro de Arcanis Rerump. præfixo; quod præſtantiſſimum ingenii ipſius monumentum, juxta cùm aliis, mox à me commendabitur prolixiùs. Jam verò in reprehenſionem incurrerem juſtiſſimam, ſi B. Clapmarii ſucceſſorem ſilentio diutiùs transmitterem; is eſt MICHAEL VIRDVNGVS, jam ſuprà inter Rhetores laudatus, Pag. 93. 94. Vir in politiore literatura peritiſſimus, Hiſtoriarum per complures annos Profeſſor maximè induſtrius; qui quoties hiſtoriæ docendæ gratiâ cathedram adſcendit, auditores ſuos, ad venuſtiſſimos ſcriptores & politiſſimos, ut bellicas ex iis & togatas artes, vitæ humanæ varias mutationes, imperiorum ortus, progreſſus & occaſus, prudentiam deniq; civilem, ipſo uſu atque experientia addiſcerent, conſilio ſemper profuturo deduxit. Nunc de TE reliquum eſt ut dicam, CHRISTOPHORE ADAME RVPERTE, Poëta feliciſſime, Orator diſertiſſime, Hiſtorice planè inſignis! Vtinam verò incredibili inuſitatæque virtuti tuæ, utinam, inquam, par à me adferri poſſet orationis genus! Luce potitus es anno recuperatæ ſalutis 1612, menſe Decembri, in nobiliſſima hac Altdorfina. Majores ac Parentes habuiſti & genere & meritis commendabiles, à quibus optimè, quod ajunt, à ſerperaſtris educatus, in ſchola Wertheimenſi ſolida literarum fundamenta poſuiſti, & progreſſus in ſtudiis feciſti non contemnendos. Præmatura autem morte erepto Parente, Muſas tuas ad tumulum ſuum pleno gradu feſtinare volentes, ab interitu vindicavit benignior fortuna, operâ potiſſimùm Excellentiſſimi *Caſp. Hoffmanni*, P.P. Celebratiſſimi, victum non minùs quàm amictum ſuppeditantis, &, quod palmarium eſt, optimos quosq; Præceptorum tibi præficientis. Cum verò nihil aliud ſtudio haberes, nihil aliud dies noctesque curares ac cogitares, quàm quo pacto Parentis Avorumque in Juris Civilis intelligentia, ſimillimus poſſes evadere; aliò tamen deflexere animum voluptates

ptates Historiæ, & humanioris literaturæ deliciæ. In iis igitur summa animi contentione es versatus, consilio atq; opera Cl. *Virdungi* magis magisque inflammatus; qui lætus occasionem demerendi rem literariam sibi dari, singulari te affectu complexus, literisq; ad Magnificum hujus Universitatis Procancellarium, Dn. D. GEORG. RICHTERUM, te inscio, exaratis, ingenuè professus est, *si optio sibi daretur, neminem se alium successorem nominaturum, nisi Rupertum.* Nec verò spes hæc decollavit. Cùm enim decurso vitæ spatio *Virdungus* mortem obiisset, adspirante DEO, Cl. Præceptoris, Patris & Amici conscensa cathedra, Professionis spartam ab Inclyto DNN. SCHOLARCHARUM Ordine sollenniter in te collatam, per novennium ita exornâsti, ut non studiosorum modò oculos animosq; in te converteres, verùm etiam summos per Germaniam atque Italiam viros tibi conciliares, qui honestissimos conatus tuos fide singulari adjuverunt. Hos inter fuere præcipui *Thomas Reinesius*, (cujus exstant Epistolæ ad D. Casp. Hoffmannum & te Christ. Ad. Rupertum perscriptæ, atque ab his vicissim acceptæ) *Petrus Servius*, *Marcus Aurelius Severinus*, *Joh. Baptista Donius*, *Casp. Facius*, *Joh. Freinshemius*, & alii. Verùm, ut est fallax hominum spes fragilisque fortuna, quæ cum maximè splendet, frangitur, maligna quædam & omnem fallens Medicorum industriam febris, vires tuas, Vir immortalitate dignissime, ita paulatim attrivit & labefactavit, ut ad postremum inevitabilem tibi attulerit ex hac vita migrandi necessitatem: mortem ergo cum vita commutasti, completo anno ætatis quinto & trigesimo, mensibus duobus. Vivis tamen vivesq; semper in tot tantisq; ingenii tui fœtibus elegantissimis. Tuis enim vigiliis, tuis nocturnis & immodicis lucubrationibus, Nobilitatis Romanæ ruinam detectam, Tacitum quoque & Pomponium de Origine Juris præclarè explicatum, acceptum ferimus. Tua sedula cura Besoldianam Synopsin perspicuè enucleavit, quam Dn. *Christ. Arnoldus*, Polyhistor & Philologus Clarissimus, cum supplemento edidit Noribergæ. A te Crispum Sallustium Observationibus Civilibus, Moralibus & Grammatico-philologicis illustratum accepimus; sed varia antiquorum Numismatum familiarumq; Romanarum monumenta, præpropera tua morte, imper-

imperfecta proh dolor! atq; inchoata manserunt: ut de Observationibus tuis ad Florum politicis, de Dissertationibus ad Val. Maximum & Vellejum Paterculum, de Mercurio denique Epistolari & Oratore Historico, hac vice taceam. Tua interim memoria & nomen nobiscum semper versabitur, atque in literarum æternitate perpetuò durabit! Sed ego captus dulcedine quadam de hoc tanto viro verba faciendi non sentio tempus effluere. Progredior ergò ad divinam *Poëticen*, quam publicè hîc interpretati sunt Viri in intelligendis pensitandisque Poëtarum scriptis præcellentes, M. MICHAEL PICCARTVS, qui reliquit nobis Carminum Latinorum Promulsidem; ejusq; successor, M. GEORGIVS MAVRICIVS; quorum & in docendo dexteritatem, & in pangendis carminibus suavitatem si non superavit, at certè æquavit suprà quoq; laudatus M. JAC. TYDÆVS, quem vel ex tempore mira facilitate struxisse poëmata Græca & Latina, multis adhuc est notissimum. Post hujus excessum, explicandorum Poëtarum provincia, anno ævi nostri 55, fuit commissa Viro Excellentissimo M. JO. CONRADO DÜRRIO, qui functionem hanc summa fide, cura & felicitate sustinuit, donec anno 57, contra spem omnē atq; opinionem, misso Poëticen docendi munere, in cathedram Theologicam legitimè à Lycei hujus Patronis vocatus & translatus est. Sed jam ad *Logicen* festinat animus; cujus disciplinæ præceptis studiosorum juvenum ingenia ut imbuerent, nullis unquam laboribus, nullis vigiliis, nulli deniq; rei pepercerunt, Viri itidem Clarissimi; è quibus primo loco comēmorandus est PHILIPPVS SCHERBIVS, Episcopo Cellensis Helvetius, Phil. & Med. D. dum vixit, Excellentissimus, qui anno salutis 1586, mense Septembri, ad Vniversitatem nostram accedens, non Medicinæ tantùm, sed & Logices & Metaphysices Professioni, consentientissimis Nutritiorum almæ hujus benignissimorum suffragiis, fuit admotus; cui per plurimorum annorum decursum, tanta solertia præfuit, ut præter ordinarios labores, varii generis disputationibus philosophicis, thesibusq; Logicis, auditores suos reddiderit beatiores. Excellentem quoq; imò singularem, quâ Scherbius noster claruit, rerum politicarum notitiam, satis luculenter demonstrant Discursus illius politici in Aristote-

Poëtices Professores.

Logices Professores.

De Scherbio vid. supr. pag. 66. 67.

lis

lis de Rep. libros, *quibus, inde usq; ab Aristotelis temporibus, nihil unquam nec brevitate concinnius, nec perspicuitate dilucidius, nec claritate illustrius, nec ad rem, quæ tractatur, aptius & congruentius in hosce libros dictum vel scriptum fuisse*, non mea quidem, sed virorum summo judicio summaq; doctrina præditorum est sententia. Ingratissimis autem ingratiores essemus, si nobilem illum Philosophum MICH. PICCARTVM, superiùs ὡς ἐν παρόδῳ inter Poëtas nominatum tantùm, hic silentio sepeliremus; qui lucis hac usura primùm uti cœpit in præcellentissima & præpotenti Norimbergensium urbe, A. C. 1574, die 29 Septembris, editus piis & honestis parentibus, à quibus indolem ad optima quæq; factam feliciter adeptus est; quam ita postmodum demonstravit, ut anno ætatis decimo quinto gradum Baccalaureatus obtinuerit, post biennium verò summis in Philosophia honoribus condecoratus fuerit. Anno superioris seculi ultimo, ob ingenii acumen, & admirandam in docendo dexteritatem, publicæ Logices Professioni præfectus, demandato sibi muneri tanto labore & ardore satisfecit, ut nullus quisquam, nisi qui apertissimæ veritati in os contradicere voluerit, de ejus vel negligentia conqueri, vel acumine pariter & perspicuitate dubitare potuerit. Excellentissimo huic Philosopho, in professione Logica cum Metaphysica conjungenda, successit JOH. KOBIVS, Hilperhusâ-Francus; qui ne honori isti competentia deessent insignia, secundô professionis annô, qui erat seculi hujus primus & vigesimus, Philosophiæ Magistri titulo condecoratus, testimoniô non tam eruditionis (hac enim nisi priùs fuisset conspicuus, in Professorum ordinem haud fuisset cooptatus) quàm modestiæ; ne ea ornamenta, quibus alii eum ad locum, in quem priùs ascenderat, aditum sibi parant, minoris, quàm reverà essent, facere videretur. Locum autem adeptus inter competitores novendecim primum, dignus splendidiore, si altior illis in carceribus datus tunc fuisset. Postea verò, quàm celebrem tum se tum totam Vniversitatem pulcherrima philosophandi methodo summaq; docendi dexteritate reddiderit, amplius est, quàm ut orationis hujusce angustiis includi possit. Loquantur pro me egregiæ illius Disputationes Philosophicæ sparsim foràs editæ, illudq; majus honorum, quod successu temporis conscendit, incrementum. Anno enim

Vid. infr. de Piccarto pl.

enim 1637 in Doctorem Juris promotus, ipsique professio Regularum Juris extra ordinem cum Logica ac Metaphysica conjungenda concredita est; quâ usque in annum eum perfunctus, quem vacuum in Juridica, ut vocant, Facultate fecerat obitus Beati D. *Ægidii Agricolæ*, Antecessoris Primarii. Proinde à professione Philosophica & Juridica illa extraordinaria liberatus Kobius noster, in JCtorum Ordinem planè ac plenè adscitus, Institutionum Impp Professor factus est A. C. 1645. Quo in munere si documenta nulla dedisset alia, (dedit autem plurima) quanti esset in Philosophia sapere, & Artes humaniores sublimioribus Facultatibus præmittere, vel unicum hoc hujus Viri exemplum posset demonstrare

De Kobio vid. etiam supr. pag. 57. & de Felvvingero successore infr. in Parentat.

Ad alteram orationis meæ partem jam accedo, in qua disciplinarum realium philosophicarum Professores in hoc sapientiæ sacrario etiam nunc post fata celeberrimos me in adspectum lucemque prolaturum à principio promisi; quapropter vos oro atque obsecro, Auditores ordinum omnium Honoratissimi, ut quales vos adhuc præbuistis, tales & deinceps mihi impertiatis. Illud autem omnino certum est, inter disciplinas practicas primum locum obtinere *Ethicen*, quâ nihil ab illo rerum Parente vel uberius, vel florentius, vel præstabilius vitæ nostræ datum est Dies autem me deficeret, si eruditissimorum virorum, qui tradendis Ethices præceptis hoc in virtutis & literarum domicilio operam impenderunt sedulam, laudes enumerare instituerem. E quibus primus occurrit M. MATTHIAS BERGIVS, Brunsvicensis, cujus fidei anno superioris seculi octogesimo secundo, publica philosophiæ moralis professio fuit commissa; quam docendi spartam ad annum usque secundum & nonagesimum, qui ultimus illi & professionis & vitæ fuit, summo ornavit ardore & fidelitate; relictis aliquot de Religione libris, *quibus, si edantur, plurimos hac ætate Theologorum errores correctum iri*, Casp. Scioppius lib. IV. Suspect. Lect. judicavit; & Opere Stagiritæ Nicomachio, adjecta ad contextum Græcum interpretatione Latina Dionysii Lambini, sed innumeris locis interpolata, ac parte Libri noni cum decimo toto, proprio Marte versa, nitidè curateq; edito. OBERTVM porrò GIPHANIVM, JCtum eloquentissimum, de quo

Ethices Professores.

De Giphanio vid. supr. pag. 44. & in Additam. infr. satius est silere, quàm pauca dicere, præter ordinariam Pandectarum, Ethices quoq; professionem hac in Vniversitate gessisse, publica testantur monumenta. Viris hisce laudatis accensendus omnino est M. GEORGIVS QVECCIVS, qui totam, quam apud nos exegit ætatem, auditorum suorum commodis ita dedicavit, ut mentes eorum pietate rerumq; pulcherrimarum cognitione imbueret, poliret mores, efficeret deniq;, ut secum ipsi honestè viventes, essent ornamento ac voluptati suis, emolumento Reipublicæ. Nec verò docuit solùm, sed & scripsit egregiè Vir Clarissimus; cujus rei fidem nobis faciunt multis lucubrationibus commentatæ Disputationes ejus, atq; Orationes quæ uno continentur volumine. Hujus, in hoc etiam professionis genere, vestigia anxio pressit pede, antè magna cum laude commemoratus M. JACOBVS BRVNO, vir plurimis in nostram Academiam meritis insignis, quorum præstantiam, non dicam exæquare dicendo, sed assequi cogitando difficile atq; arduum sit. Quàm speciatim curæ cordiq; ipsi fuerit propagandum philosophiæ moralis studium, præter innumeras, quas habuit, Disputationes Ethicas, ostendere facilè possunt scripta alia, quæ reliquit, eruditissima, ut Speculum prudentiæ moralis Aristotelicæ, & quæ adhuc velut thesauri absconditi in Bibliotheca Filii Excellentissimi latent, Commentarius in Aristotelis libros Nicomachios cum Dubiis, Notæ in Officia Ciceronis cum usu morali, Comparatio denique Ethices Christianæ & Aristotelicæ. Post viri hujus optimi mortem ad professionem Ethicam, anno ævi nostri quarto & quinquagesimo, admotus est *Vid. supr. pag. 36. 37.* Beatus DÜRRIUS, cujus jacturâ quantam plagam Academia nostra, quantam Resp. literaria acceperit, audivimus haud ita pridem, cùm hoc ipso ex loco Theologorum Altdorfinorum laudes prædicarentur. Missa tandem Philosophiæ Moralis professione, ad *Politicen*, cujus pars est ac principium tra- *Politices Professores.* ctatio de moribus, gradum proferam. In hac Philosophiæ practicæ parte tractanda tradendaq;, quàm feliciter & dextrè apud nos versatus fuerit ARNOLDVS CLAPMARIVS, vel ex ejus de Arcanis Rerump. libris satis abunde constare poterit; præter quos pluribus ejusmodi scriptis Remp. ornâsset literariam, nisi fata ipsi tantam gloriam, & ipsum unà, eripuissent.

Erant

Erant enim, præter opus laudatum, alia quædam præ manibus, atq; , ut ita dicam, ſub incude, & jam ferè exaſciata, veluti Tractatus de Jure Sacro, Comentarius de Publicis Judiciis, Libellus de Vectigalibus, Libri quatuor de Jure Publico, Libri tres de Fœderibus, Liber de Magiſtratu, Notæ in Politicam Ariſtotelis, Commentarius in Corn. Tacitum, & id genus alia ſummi ingenii & indefeſſi ſtudii certiſſima documenta. Hujus & in cathedram & virtutes ſucceſſit magnus noſter VIRDVNGVS, qui cùm per annos novendecim & Eloquentiæ & Hiſtoriarum profeſſione perfunctus eſſet, anno ſeculi vigeſimo quarto, juſſu Ampliſſimi Senatus Norici, Politicen ipſam, cujus arcana quam plurima jam antè in Hiſtoricis prælectionibus exhibuerat, ſeorſum proponendam ſuſcepit, in eaq; functione impigro perſtitit animo, donec tandem curis variis & ferè continuo labore confectus, moleſtam hujus vitæ mortalis miſeriam cum æterno & ſincero cœleſtis conſuetudinis gaudio commutavit A. 1637, relictis aliquot pretioſis ingenii monumentis, Commentario in Taciti Agricolam, Speculo idololatriæ novantiquæ, ſive de Fructu ex veteri hiſtoria capiendo adverſus idololatriam. Prodierunt etiam ejus Carmina, Orationes & Programmata varii generis. Concinnavit præterea Notas in Plutarchi πολιτικὰ παραγγέλματα, item in Florum, Tacitum, Eutropium, aliosq;, quæ tamen lucem nondum adſpexerunt. Neq; prætereundus hic eſt M. JOH. PAVLVS FELWINGERVS, qui ad hanc ipſam Politices profeſſionem A. 1648 acceſſit, eandemq; A. 1671 Filio ſuo paternæ virtutis & eruditionis æmulo, JOH. JODOCO FELWINGERO, conſentiente Magnifico DNN. *Scholarcharum* Ordine haud gravatim ceſſit; cujus viri memoria cùm alibi jam ſatis ſit commendata, nihil hic præterea dicam, niſi quòd provinciam ſibi concreditam, per unius duntaxat anni decurſum, fideliter & diligenter, magna auditorum cinctus corona, atque ô utinam diutius licuiſſet, exornaverit, eamque Parenti iterum exornandam reliquerit. Atque hinc tandem aliquando faciamus gradum ad diſciplinas Theoreticas, quarum laudes omitto, ne plus juſto excreſcat oratio; illud tamen prætermittere non poſſum, *Metaphyſicen* cæterarum

De Felwingeris, Patre & Filio, vid. infr. pl. in Parentat.

Metaphysices Professores. ſcientiarum principem ac reginam meritò vocari. Eam verò ſumma cum laude in Athenæo hoc docuiſſe novimus, præter PHILIPPVM SCHERBIVM jam laudatum, magnum illum & incomparabilem Philoſophum MICH. PICCARTVM, quem profeſſione Logices laudabiliter omniumque auditorum cum fructu priùs ornatâ ſolutum, profesſioni tum Poëtices tum Metaphyſices admoverunt *Scholarchæ* Perſtrenui; qua in ſtatione ſanè quàm honorifica permanſit usq; ad annum hujus ſeculi vigeſimum, quo incredibili cum Muſarum luctu deſiit vitalem hunc trahere ſpiritum, cœleſtemq; repetiit patriam. Logicum autem & Metaphyſicum noſtrum fuiſſe Piccartum, præter Diſputationes acutè non tantùm ab eo conſcriptas, ſed & acutiſſimè defenſas, aurea illa Philoſophiæ Ariſtotelicæ Delineatio teſtis eſſe poteſt. Politicus inſuper qualis fuerit & Hiſtoricus, verbis exprimere vix poſſum; prodeant & teſtentur id ſpecimina: prodeat excellens illud opus, quod in Ariſtotelis Politicam ſcripſit, prodeant Obſervationum Hiſtorico-Politicarum Decades novendecim: prodeant denique Orationes ejus terſæ omnibusq; numeris ababſolutæ, quæ continentur ſub finem Philoſophiæ Altdorfinæ. Quantam verò linguarum, inprimis Græcæ & Latinæ, cognitionem habuerit, exactiſſima illa Oppiani, Græci Poëtæ, in Latinam verſio, nec non ſingularis Periculorum Criticorum liber, fidem faciunt non exiguam: cujus in poſtremò nominati libri præfatione ad Lectorem quoq; promiſit, ſi Deus vitam protraxerit, Valerii Flacci novam editionem, & juſtos ad illum commentarios. Vidit porrò noſtrum Lyceum, Metaphyſices Doctorem JOH. KOBIVM, virum juris non minùs ſcientiſſimum quàm à philoſophia inſtructiſſimum; per cujus, ut & ſucceſſoris JOH. PAVLI FELWINGERI, laudes ſi decurrere nunc inſtituerem, vererer, ne cùm dicendi principium vel faciſlimè reperero, exitum invenire non poſſem. Sed ne de Profeſſoribus *Phyſices* nihil planè dicam, en ſagaciſſimos Naturæ myſtas, NICOLAVM TAVRELLVM, ERNESTVM SONERVM, & GEORGIVM NÖSSLERVM; qui in hac Vniverſitate Medicinam ita docuerunt & exercuerunt, ut nullum de Philoſophia locum, ſive de naturæ primordiis quæras, ſive de re- *Physices Professores.*

rum

rum cœleſtium cauſſis, & iis quæ fiunt in aëre, ſive de animalium ortu, victu, figuris, ſive de natura animorum, ac perturbationibus, prætermiſerint; ac proinde uti ſummam, quâ non ita pridem hoc ex loco ad dicendum ornatiſſimo, inter Medicos commemorati ſunt, laudem promerentur optimé, ſic nunc inter Philoſophos inſigniores omni jure prædicantur. Celeberrimo autem Nöſlero vita defuncto, anno 1650, d. 6 Auguſti, profeſſio Phyſica Viro Clariſſimo M. ABDIÆ TREW, fuit demandata, de quo paulò pòſt commodior erit dicendi locus. Ad ſcientiam enim & profeſſionem *Matheſeos* jam feſtinat animus; in cujus expoſitione & cultu, quis non videt, noſtram Altdorfinam tantùm non omnibus Chriſtiani orbis Academiis, gloriam ſi non præripere, ſaltem facere dubiam atque ancipitem, ob inſignes illos, quos fovit, Mathematicos, qui per admirandam & invidendam ſuam doctrinam ac eruditionem immortalitate donati, in omnium aduc ore vivunt, perpetuaq; vigent memoria. Nemo enim Virorũ Præclariſſimorum, reiq; literariæ Antiſtitum, ita prorſus eſt ignarus, ut ne M. JOH. PRÆTORIVM, Joachimico-Vallenſem, vel ex auditu ſolùm noverit. Natus eſt is A. 1537; ad noſtram acceſſit academiam anno ſeculi ejusdem ſeptuageſimo ſexto, menſe Decembri; in qua ſumma fide atq; diligentia munus ſuum privatim publiceq; obiit, nihil omnino ſibi indulgens, ut prodeſſet omnibus. Quantum verò honoris & gloriæ apud exteros, profunda eruditione ſua, & probitate inſigni cum experientia incredibili conjuncta, fuerit conſecutus, inter omnes conſtat. Θαυμασιώτατος *Thuanus* tanti eum fecit, ut quendam Hiſtoriarum ſuarum librum luci credere priùs noluerit, quàm cenſuræ illius ſubjiceret. *Sethus Calviſius* in opere ſuo Chronologico multa habet, quæ à *Prætorio* didiciſſe ſe fatetur ingenuè. *Iſaacus Caſaubonus*, *Andreas Dudithius*, *Marcus Welſerus*, *Henningus Arniſæus*, (qui Viri ℞ plurimi eundem æſtimârunt, & conſilium illius in maximi momenti rebus non ſemel petierunt. Noverant enim multa quotidie nova eum inveniſſe, multa veterum errata deprehendiſſe, correxiſſe, multa aptiùs & commodiùs monſtrâſſe, aliisq; pòſt tradenda tradidiſſe. Non dicam in præſentia de inſtrumentis ipſius Mathematicis, quæ Norimbergæ in publi-

De his tribus vid. ſupr. Orat. de Medicis Altdorf.

Mathematici.

cam Bibliothecā sunt translata; prætermittam summi pretii MSSta, quæ hic in Academiæ nostræ Bibliotheca asservantur; Mensulam tamen ejus Geometricam non silebo, quam quatuor libris fusè descripsit B. noster Schwenterus in tractatu III Geometriæ suæ Practicæ; cum quibus omnino jungi merentur, quæ *Georg. Andreas Boeclerus* in nova Geometriæ illius editione, Mensulæ illi Prætorianæ superaddidit. Tandem verò lumen illud Matheseos splendidissimum, quod per quadraginta fermè annos non academiam tantùm nostram, sed & exteras oras splendoris sui magnitudine complevit, A. 1616 occidit; nunc verò inter astra collocatum fulgebit in perpetuas æternitates. Quis porrò est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in re literaria, quin PETRUM SAXONIUM, Huso-Holsatum, & JOH. CASP. ODONTIUM, M. *Casp. Odontii*, qui in Gymnasio Altdorfino humaniores docuit literas, filium, Viros Mathematum peritissimos, cognitos habeat? Quorum ille in *Joh. Prætorii* locum, anno ævi nostri septimo & decimo, mense Octobri, suffectus, Mathemata superiora accuratè docuit, tandemque mense Septembri, anni vigesimi quinti, fato concessit: hic verò anno 1580 hanc in lucem editus, voluntate eorum, penes quos arbitrium eligendi & vocandi jus èrat, postquam sapientiæ præcepta in Gymnasio antea tradiderat, publicus Mathematum Professor factus, exquisitam Matheseos scientiam, qua pollebat, exeruit feliciter, sed non diu; diem namq; heic obiit A. 1626, scriptumq; de Cometis reliquit. Talibus tantisq; viris hoc in docendi genere A. 1628 successit DAN. SCHWENTERUS, & ab horum studiorum veluti fontibus, ad perennem non inferioris solùm ordinis sortisq; privatæ hominum famam profluxit, sed & eminentioris conditionis viris, Principibus, Comitibus, Baronibus, ita sese probavit, ut in quorundam familiaritatem etiam admissus fuerit & amicitiam; quorum catalogum facili texere possem negotio, nisi verendum mihi esset, ne tempore magis & sermone, quàm illorum numero nominibusq; destituerer. Minimè verò virtus, eruditio & honor, æternæ illi, & omnibus mundanis, imò ipsi mundo dictæ legi, *Moriendum cunctis*, Schwenterum nostrum eximere valuerunt; hanc enim & ipse anno seculi 36 subiit, in præaltam illam atq; divinam academiam receptus, ubi

ubi aſtra, in quorum magnitudines, intervalla, curſus, ſtudioſè his in terris inquiſivit, infra ſe nunc conſpicit ac contemplatur. Miramur tamen & nos, & mirabuntur poſteri, monumenta, quæ in hoc ipſo ſtudiorum genere reliquit, eruditione multiplici refertiſſima, qualia ſunt Geometria Practica, Steganologia, Deliciæ deniq; Phyſico-Mathematicæ. Defuncto *J. Jac. Pömer*, Patricius Norimb. parentavit. Et nunc deniq; ad M. ABDIAM TREW, Matheſ̂os & Phyſices Profeſſorem Clariſſimum, mea revertitur oratio, qui anno redemtionis noſtræ 1597, d. 29 Julii, Onoldi lucem hanc primùm adſpexit; anniq; ſeculi hujus 36 menſe Januario, publicus Matheſ. Prof. heic loci eſt conſtitutus; quam ſpartam anno ſeculi quinquageſimo excepit profeſſio Phyſica cum priore Mathematica conjungenda. In quibus functionibus quantam adhibuerit diligentiam & curam, vel è ſcriptis Viri Celebratiſſimi erudito orbi notiſſimis manifeſtum eſt: potiſſimùm autem ex ejus Manuali Geometriæ Practicæ, Aſtronomiæ parte ſphærica, Diſcurſu de Correctione Aſtrologiæ, Nucleo Aſtrologiæ correctæ, Specimine conciliationis Calendariorum veteris ac novi, Directorio Mathematico, Phyſica Ariſtotelica, aliisque pluribus. Sentio equidem res tantas multò breviùs multoq; exiliùs à me tractari, quàm dignitati atqùe amplitudini ipſarum conveniat. Enimverò multa conſultò prætereo, quòd mihi non tam ut copiam & varietatem conſecter laborandum eſt, quàm ut effugiam ſatietatem. Quis enim unquam tanta vi præditus ingenii, tanta eloquentiæ copia inſtructus reperietur, qui in tali materia ita verſari ſe poſſe confidat, ut non ſemper cùm plurima dixerit, plura tamen omiſiſſe videatur? Ecquid igitur? finemne ſtatim faciam (id enim à me dudum exſpectari video) an priusquam deſinam, de Philoſophiæ, cæterarumq; artium quæ ad humanitatem pertinent, *Dnn. Profeſſorum* in Incluta Altdorfina hodieq; Celeberrimorum laudibus nonnulla proferam? Ego verò id facerem ac lubens, niſi cum aliqua eorum moleſtia fieri hoc debere intelligerem, propterea, quòd, ut quisq; laude digniſſimus eſt, ita minimè libenter laudes ſuas audire conſuevit. Ne igitur me velle quid auribus ipſorum dare videar, reticebo laudes quanquam veriſſimas, omniumq; ore celebratiſſimas, ſolvens tamen animum in pia vota affectum & obſervantiam meam demonſtratura.

Faxit

Faxit igitur DEVS OPT. MAX. auctor & conservator rei literariæ, ut Viri vos Amplissimi, bono publico nati, in otio & tranquillitate pulcherrima porrò consentiatis & conspiretis in bonum literarium, ruituris virtutibus & literis supponatis salutares manus, & seculum impleatis facinoribus illis, quæ boni & literati omnes in ore, in oculis, in animo ferunt! Sic vivite, sapientiæ atque humanitatis Doctores Excellentissimi, unà cum reliquis Patribus Academiæ Conscriptis! Vivite saluti patriæ, gentium omnium decori, orbis bono! Vivite vetusti longævam Nestoris senectam! Vivite dum seri, annisq; & honoribus languidi, ad cognata
Vobis evoletis sidera!



Præcedenti de PHILOSOPHIS ALTDORFINIS *Orationi accedat hìc, mantissæ locô,*

ORATIO
De
VITA ET OBITU
M. JOH. PAULI FELWINGERI,
Philosophi Altdorfini perquam celebris.

PROGRAMMA.

E*Xtulimus ante quatuor penè menses venerandas exuvias* JOH. PAULI FELWINGERI, *Academiæ hujus Senioris longè meritissimi, atq; insignis Philosophi; qui, quàm vir pius ac doctus, quàm in officio ad miraculum industrius, quàm candidus ac sincerus, quàm ab omni fastu & vana ostentatione alienus, insuper & in conversatione comis benignusq; fuerit, nunquam non testati sunt, & ubi opus, præter Collegas, tot Viros Excellentes, testabuntur auditores ejus ac discipuli, quos jam inde ab octavo & trigesimo seculi hujus anno, quô publicè docere cœpit, habuit innumeros, Reipublicæ, Ecclesiæ, Academiarum Scholarumq; præclaris muneribus vel perfunctos, vel hodieq; perfungentes. Et si fortè fuit unquam, aut esse possit, qui amisso pudore omni, de commemoratis Senis Beati ac post fata quoq; perpetim Venerabilis, virtutibus inscriptum in animo testimonium ferre non voluerit, aut etiam nunc velit; multijugam Viri eruditionem & incredibilem diligentiam plus satis demonstrant tot in publicum emissæ Dissertationes ac volu-*

mina, quæ si recensere aut comprehendere hîc ausim, Icariæ numerum dicere coner aquæ. *Alexis, Poëta Comicus, propter ingravescentem ætatem interrogatus, Quid ageret? respondit:* Καλὰ σχολὴν ἀποθνήσκω, Per otium morior! *Non hoc de se ὁ μακαρίτης noster, non nos de ipso dicere possumus; quin perinde potiùs ac Diogenes olim, cùm quis moneret ipsum, ut jam senex quiesceret à laboribus*, Quid, *respondit*, si in stadio currerem, utrum oporteret me jam metæ vicinum, cursum remittere, an magis intendere? *Ecquis igitur cum Horatio in hæc meritò non erumpat verba:*

Paulum sepultæ distat inertiæ
celata virtus; non ego te meis
chartis inornatum sileri
totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
obliviones!

Similis animi impetus incessit Eximium atq; eleganter Doctum DN. JOH. JUSTINUM ARNSCHWANGERUM, *Norimb. Philosophiæ Candidatum, Admodum Reverendi ac Præclarissimi Genitoris, de Ecclesia patria insigniter tum meriti tum hodieq; merentis, filium haud degenerem, Celeberrimi Felwingeri nostri auditorem oppidò sedulum; qui tanti Præceptoris sui labores & memoriam, quantum in se est, ab oblivione cupit vindicare, eaq; mente elegantem panxit Orationem de Vita & Laudibus Ejusdem, quam prima crastini pomeridiana in Theologico recitabit auditorio. Cui recitationi ut haud gravatè interesse velint* Magnificus DN. RECTOR, Perillustres & Generosissimi DNN. BARONES, Excellentissimi ACADEMIÆ PROCERES, & Cives Nobilitate Generis pariter ac Bonis Artibus Florentissimi, *observantissimè amantissimeq; rogo. Quamvis equidem non sine morsu atq; acerbitate vulnus hoc, interim ferè cicatricem passum,* retra-

retractari queat: attamen ipse morsus sua quoq; non carebit voluptate; secundum illud Attali Philosophi effatum apud Senecam: Sic amicorum defunctorum memoria nobis jucunda est, quemadmodum in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat; & quomodo poma quædam sunt suaviter aspera. *Quæ cùm ita sint, speramus ac spondemus in hac quoq; Oratione non defuturum, quod juvare & delectare possit audientes.*

MAGNVS DANIEL OMEIS, P. P.

ORATIO.

(Titt.)

MVlta sanè debemus antiquæ Romanorum & Græcorum prudentiæ, quibus illa, partim ad eruditam voluptatem, partim ad laudabilem imitationem, se nobis non sine magna gloria commendavit. Enim verò (ut silentio omnia involvam, quibus uterq; alias populus ceteris gentibus palmam præripuit) me tantùm occupo in allegandis ritibus eorum ac moribus, quibus funera ornare amabant, quorumq; unum & alterum ab his mutuatum meritò adhuc tenemus atq; colimus. Plurimas autem ceremonias defuncto olim corpori adhibebant, idem ungendo, pollinciendo, lavando; procurabant præficas, libitinarios, ac vespillones; suppeditabant vestes, ornamenta atq; coronas; funus erat usitatô ritu collocandum, publicè efferendum, ac sepeliendum, mox in cinerem, cum fragrantissimis odoribus, unguentis ac liquoribus redigendum, quod inferiæ, epulæ, luctus, postremò celebrandi, excipiebant. Sicut tamen multi horum rituum, & præter hos alii plurimi, non parum gentilis superstitionis redolebant, debentes incunabula populis nostræ veritatis sacramentum ignorantibus; à Romanis etiam & Atheniensibus, in

quantum iis communibus usi sunt, non uno servabantur modó; ita nullus tam sapienter excogitatus, nullus tam sano omnium judicio approbatus & exercitus occurrit, quàm qui orationibus in laudem defunctorum habitis, Valerio Poplicola auctore, Romæ vel cœpit, vel invaluit. De hoc Plutarchus cum Dionysio affirmat, quòd Brutum, posito in foro ejus corpore super lectum splendidum, & populo ad concionem convocato, atratus ibi laudaverit. Inde postea, quicquid funebris hujus moris erat, Romani statuerunt, Græci suis addiderunt, utriq; cum discrimine propagârunt. Illi enim omnibus Viris Claris, Remp. armis, arte & consiliis juvantibus, honorem hunc decreverunt, opinati laudabiliter, ob totius actæ vitæ virtutes, elogia tandem deberi; hi verò bellicam solùm mortem commendâsse videntur, & quidem extra Athenas, in loco Ceramico dicto, quòd ex una virtute, quæ in ipsa morte apparuerit, viros bonos judicabant. Nos diversitatis ratione nihil commoti, ad rectum potiùs institutum respiciamus, quod sapientia, pulchritudine, & quidni etiam necessitate sua? in hunc usq; diem duravit ac perstitit, cùm vix ac ne vix quidem, præclaro aliquo Reipublicæ decore è terris emigrante, illud ullo magis quàm hoc vinculo, ad vitæ & morum exempla contineri queat. Dignissimum itaq; est, quod posteritas sciat, quàm blandum ad æternitatem invitamentum fuerit tota vita magni *Felwingeri*, cui lacrymas nostras cum Musis præficis non ita pridem impendimus. Ejusdem Venerandi Senis nunc ego sepulchrum dicere jussus, non video, quomodo suprà laudatos Romanorum mores imitando, iisdem non potiùs obstrepam. Requirebant nempe illi Oratorem, qui defunctos vel sanguine accedebat; sic Tiberius de Patre, Fabius de Filio, orationem habuit: vel eloquentissimum ejus ætatis Virum; ita Cornelius Tacitus Syllam, Cicero Crassum, Hortensium & Sulpitium laudavit: horum verò neutram conditionem apud me invenio, nisi ut pro sanguine beneficiis, quibus omnes literarum cultores *Beatus* obligavit, cum ipso me conjunctum arbitremini. Quare accuretis unà cum me ultimum hoc officium, vel saltem attentione vestra & favore meum ne deseratis, qui immortalitatem, quàm possum mœrens merenti breviter contribuam.

Inuti-

INutilis & ſupervacanei laboris negotium, non pauci ſunt, qui exiſtimant, funebres panegyricos à Patria inchoare, cùm hac vanè ſuperbiant ferè, quibus natale ſolum nihil, quàm mater eaq; ſæpe infelix exiſtit; ſicut viciſſim egregiè inculpati ii, quibus nihil præter hoc poteſt exprobrari. Non enim tam refert, illuſtris urbis civem eſſe, quàm eâdem ſe dignum exhibere; non unde natus aliquis ſit, quàm qui ſit, adeò meretur laudem, ut vel Themiſtocles, ſi Seriphius fuiſſet, ignobilis non ſit habendus. Obſcurè itaq; ſplendeſcere videntur, qui nativitatis loco gloriantes ipſi degenerant, plus ſibi tribuendo, quàm reddunt: quanquam etiam pondus habent, quæ Simonides, referente Ammiano Marcellino, judicabat: *Benè perfectâ ratione victuro debere ante alia patriam eſſe glorioſam.* Et quidni robur trahant à cultiore loco & regione, quæ inde proveniunt hominum ingenia? Sunt hæc certè agri inſtar, qui in Favonium ſpectans ventum, & Soli oſtentus, ſuapte natura melior evadit & fœcundior. Hinc in prælio cæſos Pericles laudavit, quòd patriam Athenas nacti fuiſſent, cujus idem Reipublicæ formæ ſumma non minus præconia detulit. Nos quô piaculô Noribergam noſtram diſſimulabimus? cujus laudes non ego, ſed qui grande epos molitur, expediat, cuiq; totus vixit Beatus noſter, nullus ſibi. Dixerit quis non immeritò, hanc illi ideò natales impertiviſſe, ut ſibi in eo mille commoda naſcerentur. Dixerit item, illum ſibi minimam ſui partem vindicâſſe, ut eò majorem Patria vindicaret. Vno verbo: Soli beneficium in illud ipſum impendit. Felices ergo Parentes, à quibus in hanc lucem editus A. 1606, d. 16 Aprilis, Patrem ſortitus Johannem Felwingerum, Marchionatu ſuperiore innatum, & tabernarium; Matrem Catharinam Schwarziam, ambos ex honeſtiſſimis familiis oriundos, utut non majoribus adeò, ac in eo poſteris clareſcentes. Hinc licet familiarum nomina, ceu Romanum morem Seneca exprimit, non longô ordine, & multis ſtemmatum illigata flexuris appareant; non tamen hæc naſcendi conditio Noſtro fuit minori decori & honori, ac ſua olim Agathocli, Socrati, Euripidi, & aliis, quorum omnium genus ab ipſis incipiebat, in aliis ſæpe deſinit. Aliena laudat, qui genus jactat, niſi ſimul generoſo intus ſpiritu agitetur, & cum animi ſui dotibus ſibi

hoc uſurpet. Jam aliena, quantò minùs propriis præſtant, tantò dignior admiratione cunctos tenet, qui in ſuam ipſe gloriam vivit, etiamſi vel pauperior cum Demoſthene pater, vel vilior cum Æſchine mater eidem contigerit. Nec vice verſâ filius ſublimioris conditionis parentes humiles obſcurat, ſed potiùs æquè lucem illis præbet, ac artificioſa umbra picturæ alicui decus, æquè decus, ac umbroſus ramus arbori ſuæ gratiam conciliat & pulchritudinem. Id ipſum verò Celeberrimus Senex beneficio ante omnia piæ & proſperæ educationis, quâ fruitus eſt, in parentes transmiſit, quæ cùm multum faciat ad ſtruendum ſibi felicitatis faſtigium, ita ceſſit hîc etiam feliciùs eò, quò faciliùs ex ligno Mercurius erat ſculpendus. Rapuit magnetica hac virtute inter alios animum Avunculi ſui Honoratiſſimi, Dn. Pauli Schwarzii, Reipublicæ Noribergenſis id temporis, (ut vocant) Secundicerii, qui bonæ indolis indigentia allectus ſeſe cognato mirô ſtudiô fruendum præbuit, ut verè laudabilis facilitas fuerit, dum conſiliis & obſequio hinc inde certatum. Juſtum enim movebatur dubium, an cura in Patrono conſpicua favorem, favor beneficium, beneficium promtitudinem excederet, ſicut ambigebatur in cliente, an amori cultus, cultui placendi cupiditas, huic ſtudium demerendi prævaleret. Suaſu igitur laudati Viri, cui Noſter, ceu dixi, multum debuit & debere voluit, mitti cœpit in publica virtutis & doctrinæ ſeminaria, & primos eosq; uberes profectus fecit ſub felici ungue Dn. M. Johannis Schirmeri, tertiæ claſſis Sebaldinæ Præceptoris, pòſt Laurentiani Rectoris, qui ſcholis ſuis tam fideliter præcepit fundamenta artium, ut eo inter cœlites recepto, & ſucceſſore denominato Dn. M. Georgio Schrödero, hunc diſcipuli bonæ frugis proventus adeò illexerint ad amoris mutui coagulum, quò non ſolùm de optimo ingenio ſpem conciperet opimam, verùm & eximium in eo fidei & induſtriæ ſuæ ſolitæ monumentum conſtitueret. Atqui probè tinctus hac ratione Græcæ & Latinæ Linguæ elegantiis, (cujus utriusq; ſtudiò, ex mente Caſelii, potiſſimum continentur, quibus animus, oratio, mores, vita deniq; hominum egregiè politur, & divinitus perficitur; imo ut idem ille habet, Muſarum arculæ ſunt, quibus theſauros ſapientiæ ipſæ reconditos cuſtodiunt)

doci-

docilitate suâ invitavit quâ Parentes quâ Cognatos, ut de capessendis solidioris scientiæ augmentis illi imposterum prospicerent. Invitati verò hac ratione, ut quibus nihil antiquius erat pueri utilitate, morem gesserunt amori & religioni, eumq;, delectô huic fini Altdorfiô, tunc Gymnasiô & Academiâ perinde clarô, A. 1623, d. 1 Maji, adeoq; ante Vniversitatis privilegia publicata, Dn. Christophoro Speccio concrediderunt, cujus moderamine secunda classis eo tempore fruebatur. Hic tam pulchros profectus fecit, ut A. 1628 ad publicas Lectiones extraordinariè admitteretur, pollens ingenii tanta celeritate, quâ alios in studiis excitare potuerit, ut animos suos per hunc tanquam mollissimâ cote lævigarent; addo quod nihil ferè præposteri fuerit, exigere ab eo jam tum maturum fructum, cùm arboris instar germinare primô vere inciperet. Neque dubitaret de hoc alius, nisi qui segregem eum ab ingenti laude velit facere; quâ fretus ad Argentoratense iter tunc post Petro-Paulinum festum se accinxit, & provectiora sua ac Helicone non indigna studia doctis comprobans, simul audacium in hoc negotio temeritatem rejecit. Præterquam enim, quòd rectè arbitratus est, Juvenem debere cum flumine congruere, quod ubi intra stagnantis alvei angustias coërcetur, putredine corrumpitur, ubi brachia variis ripis allidit, limpidius fluit & dulcius: noluit tamen etiam amore virtutis extra patriam trahi, nisi in ea sementem priùs, rerum optimarum intelligentiâ, fecerit, unde fructus virtutis feliciùs ita metere posset. Præstolatus ergo faustum successum instituti sui, pro hoc cladis nonnihil sensit à tristi illa Homeri Ate, orbem hunc, nescio quomodo magis celeri pede, quàm candidæ Litæ, perambulante, ut in vicem, quod de colendis Musis satageret Æsculapio litare necesse habuerit, dum brevi ab adventu suo, modò malignâ febri implicitus, modò alii ægritudini obnoxius, à fine intercludebatur, quem pari vel fiduciâ vel laude sibi tenuit præfixum. Interim fama adversæ hujus valetudinis in patriam pervolante, immoderata Parentum anxietas non potuit in ipsis acriorem sitim accendere, ferendi ægroto suppetias, quàm penetrantiorem ex eo dolorem acceperunt, quòd loci intervallo ab effectu prohiberentur. Quare nullum campum, sumtibus præsertim oppidò deficientibus, ad

opem quantulamcunq; videntes, consilium inire coacti sunt de filio domum revocando, ne vel solatiô remotioris eorum vigilantiæ planè posset destitui. Obtemperavit is etiam retrahentibus fatis, atque avidis suorum amplexibus obversus, mox dein eam recuperavit sanitatem, ut veluti Antæus aliquis, qui

ab ipso
sumit opes animumq; casu,

è fugiente malo emergeret. Tùm verò, obtentâ pristinâ quiete, primùm de Musarum castris cogitavit, & cùm ad ea denuo sectanda nullus commodior Altdorfinâ locus appareret, haut secus electioni ejus, ceu benignæ antehac nutricis suæ, pronus ipse fuit, ac Patronorum monitis similiter adjuvabatur. Exceptavit hæc quoq; antiquum hospitem summo cum gaudio, quemadmodum maximo cum ardore is telam suam retexuit; habuit nullam eruditionem venalem, quam non scopo suo utilem hic mercaretur; potuit nullis utilibus præceptis scaturire, quæ non avidus animo suo imbiberet; protulit nullum virtutis alumnum in medium, cujus vestigiis consignatæ viæ non insisteret; nihil magnum, nihil exaggeratum in sinu est complexa, semper in eo cum excelsis ingeniis desudavit. Nec aliter hìc totum penè biennium emensus est, ubi cum nova studiorum sede hanc iterum commutare duxit. Non poterat non audire subinde de immortali gloria, quæ super æthera notam exaltavit illustrem illam Jenensem Vniversitatem, cujus tanta celebritas ipsum stimulabat, ut interiora ejus adyta intrare concupiverit. Respondit desiderio eventus A. 1627, quando destinatum eò iter licuit illi svasu omnium & applausu suscipere. Et non opus erat tunc, ut Toxaris aliquis Anacharsim moneret in itinere, quod hic per Græciam instituit, ut Solonis rationem haberet, qui solus sibi esset satisfacturus, quòd Græciam totam complectebatur. Sponte enim Felwingerus & quasi naturali inclinatione cum doctis est versatus; quid? quod Anacharsin etiam fortuna sua anteivit, incidendo ibidem non in unum Professorem, in quo Solonem vel plus eô, poterat admirari, verùm in aliquot certè, & quidem in Danielem Stahlium, à quo in Lares pariter & convictum est receptus, Hieronymum Prætorium, Paulum Schleevogt, Johannem Majorem, Johannem Gerhardùm, Johan-

Johannem Himmelium, aliosq;, qui omnes & nomen ſibi excitârunt è ſeculo æternaturum, & illi mella ſua, tanquam Divinâ virgulâ Doctores deſignati, omni cura ſuggeſſerunt. At etiam ſerviebat ille tam opportunæ pro ſe occaſioni, quippe præter debitam obſervantiam, quam auctoratus his totus, ad aram humanitatis eorum ſacravit, nullam patiebatur ſationem abire, cui non agellum animum offerret, nullam meſſem, unde non in horreum colligeret, nullos labores, quibus non optatum fructum conſequeretur. Imò verò nondum divelli potuiſſet à meritiſſimorum Præceptorum latere, niſi poſt exactum Jenæ triennium illic affectare voluiſſet Bellona diviſum cum Muſis imperium; quamobrem ut pedem reflecteret maturiùs, patroni & agnati illi auctores fuerunt. Obſecundavit hortatibus ipſorum, præſertim cùm eam gloriam manticâ conditam afferret, quam è tergo in pectus rejicere, atq; lætis etiam Parentum & Patronorùm amplexibus poſſet offerre, quamq; ipſam aliquis non parùm temeraret, cui ſvaviter adhuc in Philoſophiæ adytis ille quieviſſet, cùm in ea jam ſedes domicilii fixit, metendæq; laureæ ferè fuit proximus. Scilicet in patriam reverſus, quaſi apis variorum florum ſucco gravida undiq; delibato, quin viæ ſibi à ſervato veteri amore ad priſtinum Hymettum, Altdorfium, expeditæ inhæreret, non poterat non fieri facilè; ubi etiam paulò pòſt optimâ virium fiduciâ nixus concinna diligentiæ præmia quæſivit, quæſita obtinuit, & velut unio tandem ex matrice concha prodivit. Sanè non mediocriter eruditionem ejus, quâ erat jam tum ſingulari, commendavit, quòd juxta cum aliis duodecim Candidatis, aditu ad Honoris, uti appellant, Magiſterialis templum ſibi facto, primum locum ritè exornabat; ſi tamen hoc mirum videri debuit, dum antè ſemper in ſtudiis ſecundi gradus impatiens fuerat. Vnum hoc infauſtum atrô notandum lapillô eſt, Panegyrin, quam vocamus Petro-Paulinam, tunc ſollenni Magiſtrorum creandorum actui deſtinatam, præpeditam fuiſſe claſſicô à Furiarum maxima incentô, ut hinc eodem momentô clauderetur Muſarum palatium, quô Jani fanum pandebatur. Sed ſucceſſit mox intercalata ſollennitas, ipſa adhuc bellorum turbine correpta, quando Apollo (cujus aliàs totô cœlô diſtat ratio & Martis) ſubſecuto anno

ſeculi tertio & trigeſimo, menſe Januario, ea indixit halcyonia Parnaſſo, quæ palmam in medio poſitam novis Magiſtris conceſſerunt, literatorum juſtam triſtitiam ſublevârunt, & excuſſam pacem velut è fuga conſiſtentem ad commune ſolatium repræſentârunt. Atque decoratus hôc titulô Felwingerus totus poſtea in eo fuit, ut dignitatem factis æquipararet, ne virtutum & diligentiæ ſuæ torrens honore, ut obice, videretur repreſſus. Ea propter ad altiora enixurus ſe juvare imprimis cenſuit, ſi ingenium vel explicaret, vel excoleret in Helmeſtadienſi Vniverſitate, quam ſub iſtud tempus perfundebant clariſſimâ luce Celeberrimi Theologi, Georgius Calixtus, Conradus Hornejus, & Paulus Müllerus, à quibus & aliis ingentium animarum ſideribus, tantum luminis auditor mutuavit, quo de non uni deinde ipſe accendit. Nam Theologiæ inter philoſophandum eam operam dedit, ut, qui profectus ejus animo complecteretur, vix fieri potuiſſe crederet, ut aliquod unquam tempus alii ſtudio impenderit; quemadmodum qui de civili ſapientia diſſerentem ipſum audiverit, ſibi facilè perſvaderet, eum nihil aliud totâ vitâ, quàm Philoſophiam tractâſſe. Ex utriusque igitur doctrinæ genere ad literati orbis decus contendens, magnos illos Præceptores ſuos in altiſſima ſpecula pari animi ardore ad culturam & amorem ſui reddidit intentos, ut cùm è patria Cæſareo exercitu circumfuſa ſolitis adjuvari ſubſidiis nequiret, triſtem ejus fortunam conſiliis & operâ promiſcuè temperaverint, nec priùs à cura ſua deſtiterint, quàm eum commendâſſent Viro Nobiliſſimo & Perſtrenuo, Dn. Julio Auguſto de Streithorſt, à quo Rottdorffii liberis ſuis præfectus eſt bonis artibus imbuendis, atque primùm peritiæ ſuæ cum aliis communicandæ proſpero ſucceſſu periculum fecit. Abdicavit verò paulò pôſt ſe ea conditione, & Halæ-Saxonum juxta cum affectibus Dn. Samuelis Ritteri, Provinciæ Magdeburgenſis Syndici & Scabinatûs Aſſeſſoris, duos quoque nobiliſſimos adoleſcentes, Wolffgangum à Brandenſtein, & Carolum à Diskau, in fidem ac informationem ſuam conferri paſſus eſt; quos, ut bonis moribus, ſic & elegantiorum literarum interiore cognitione inſtituit, ut laudum ſuarum materiam, decora ingenia, procuderet. Impeditus ſolùm metu belli fuit, quò minus & hac ſede diu ſe reficeret. Cùm

enim

enim non unus exercitus, Cæſarianus, Suecicus & Saxonicus caſtris inſiderent oras illas, & multa, Halenſi imprimis civitati, adjacentia loca non ſinerent eſſe ſecura, inde ſe tempeſtivè proripere, tutioremq; domum viam per Helmeſtadium inire jam in animo habuit. At videte Divini Numinis providentiam, quod commodis rei literariæ in patria augendis priùs deſtinaverat ipſum, quàm ex inquietatis bello terris eò refugium meditaretur. Vacabat Inſpectionis Alumnorum Noricorum functio, eamq; curæ ejus ideo voluerunt demandare Patres Conſcripti, quòd ex cultæ indolis fama clarebat, quæ circumlata hactenus dudum meruit in eo centro quieſcere. Et certè nihil fugit eum, quod perceptione dignum fuiſſet; nihil inexpertum reliquit, in quo ſtatuiſſet ſibi eſſe elaborandum; admirabiles difficilesq; ſcientias inſtar rupis proruptæ ſuperavit, & quod magis fuit, ea junctim univerſa poſſedit, quæ in ſublimibus naturis ſingula ſolemus mirari. Ipſâ hâc inexpugnabili eruditionis illecebrâ totum cepit animum Generoſi & Magnifici Dn. VLRICI GRVNDHERRI, tunc Septemviri & Proto-Scholarchæ; cujus benigniore indultu cunctatus nonnihil ab exteris reditum eſt, donec locis à ſe luſtratis etiam Hamburgum adjecerat, ipſâ experientia auctus, quæ cum multiplici in eo ſcientia contendit. Exorſus deinde ſpartam ſuam, omne quod in exſpectatione fuit, adimplevit: à magiſterio ejus literæ ac diſciplinæ, velut redditâ juventute, efflorеſcebant, Muſasq́, olim in contubernium admiſſas nunc in ſplendorem is aſſeruit; doctum ſe monſtravit, ſed & in explanandi facultate dextrum, ne juxta ſecum aliis faceret injuriam, ubi contemplationis ſibi ſucco vivens ingenii theſaurum infidelis ſiviſſet deliteſcere. Annus ſecundus agebatur, ex quo adſcitus in hanc provinciam affulſit, ecce oblatâ aliâ debebat frui, quæ eum ab Academia avocatum Eccleſiæ inædificandæ vindicaret. Superintendens opus erat Illuſtriſſimis & Generoſiſſimis Dnn. Baronibus, hodiè Comitibus, in Obern Sultzbürg; cumq; viciniores Felwingeri nomen tantò pleniore tubâ accepiſſent, ſimul præconia admirati exarſerunt ad æquam cupidinem, eâ ipſum dignatione circundandi, quæ curâ & auctoritate illorum aliud novum caput exſpectabat. Huc ita deſideratus, noluit, nec temere debuit, fortunæ incre-

ſcentis ſuæ ductui repugnare; ſolùm, ne ingratus ullò modò peccaret, rei etiam ſucceſſum in conſenſu Incluti Senatus Noribergenſis poſuit, tunc ex ſola hac providente moderatione noſcendus, quòd ad alta, vitæq́ue genus aliud, natus eſſet. Id quod felicibus mox aſtris erupit, quando recens oblatum munus deprecatus, priorem ſtationem indefeſſo continuavit ſtudio, donec brevi poſt Publici Profeſſoris titulô meritò ornabatur ſuo. Vbi enim Clariſſimo & Excellentiſſimo Dn. M. *Johanni Kobio*, Logices & Metaphyſices Profeſſori P. ſummo cum Doctoris honore juris fatorum interpretatio decernebatur, isq́; dicatus jam Imperialibus Inſtitutionibus, profeſſione altera Metaphyſica ſponte abibat, Noſtro rariore ſorte uſu ſic venit, ut Superiorum nutu ei ſuccederet in officio, ſub cujus ægide olim ſollennem diſputationem defendit. Nec niſi tantum anteceſſorem habere debuit, quò, ſicut per Genium hujus docti jurârunt, æque eum digitis monſtrarent omnium virtutum ex aſſe heredem, quas ille tam inſigni celebritate exercuit, ut in eo uno literarum proceres quæſiverint, quod in toto pæne orbe erudito paſſim venerabantur. Reſpuat verò laudes ſuas, ſi poteſt, etiam invitus accipiet ob merita, quæ cum laborum honorumq́; incrementis æqualiter creviſſe oportet. Nuncium vix miſerat Alumnorum Inſpectioni, cui inter adjectas occupationes integrum adhuc annum ſatisfecit, inſuper in humeros ſuos aptata eſt, ut quibus optimè ſederet, cura tantùm non Divinæ artis, Logices, cujus magna vis & utilitas niſi jam per omnes ſcientiarum partes fuſa manâſſet, hic eam manare feciſſe videri potuiſſet. Sed & præter uſum, quem egregiè docuit, unà diſcentium vota aliô paucis communi donô æquavit, videlicet, cùm illis ſubtiliorem hanc doctrinam, & ob id auſteram nonnullis, blandâ quadam methodô, tanquam ſuaviſſimum nectar, propinavit, ut & impreſſum ei perſpicuitatis characterem apprimè intelligerent, & ipſi hoc lumine ducti non incerti vagarentur, aut more cœcorum andabatarum pugnarent. Imò quantus Logices Magiſter fuerit, illi ſciunt, quos contra uſus eſt in ſcriptis acutâ ſuâ, quâ polluit, ſolertiâ ad veritatis indagationem, eaq́; bona fide ab ipſis hoſtibus celebrata, qui dum clades ſuas occultare neſciebant, ſimul eruditum ejus ac fortem ratiocinandi modum commendârunt. At non ingratiores operas Metaphyſicæ dumetis vepribusque

locâſſe

locâsse censendus est, quòd vel sola hæcce plenâ urnâ laureas ei statuisset, si non utriusq; ipsum individuæ manerent. Scitô eas & plane sororiô nexu administravit, unde facile & jucundum fuerit videre, quàm posceret alterius altera opem, amicè conspirando; prout etiam, perinde ac fascis illius senis, non in singulis bacillis, sed in omnibus vinculo conjunctis, unita in vi scientiarum robur solet consistere. Hoc amplius, quòd jungenda benè jungeret, simili curâ separanda separavit. Non verborum quæstionumve minutiis gravissimum Metaphysices pondus fregit: non illorum; quòd excessum hujus rei adeò justè devitavit, ut, quemadmodum Hercules, cùm observaret in templo statuam Adonidis, Veneris deliciarum, indignabundus dixit, *Nil sacri es;* ita Herculeus hic literarum pugil, in rebus potiùs attentus, hujusmodi lautitias nihil dubitavit commodiori loco relinquere: non qvæstionum; quòd planè insipidum duxit eorum morem, qui omissis perspicuis argumentis, comparationibus & exemplis, minutos quosq; scrupulos eximunt, captiunculas expediunt, dubitationes solvunt, & vix generalia non perperam tradentes, ubi ad distinctiones decisionesq; venitur, Scyllæ fabulam hoc in Philosophiæ genere exprimunt, quæ ore tantùm & pectore formosam virginem proferens, pro fœcundo utero ad vitæ humanæ commoda, in portentosas & latrantes quæstiones desinat. Gignitur inde accuratiori huic disciplinæ id quoque detrimenti, quô tanta veritas, ceu illius est, propter motas circa eam controversias multorum ferè contemtui fit obnoxia, non ita absurdè existimantium, eos errare omnes, qui nunquam inter se convenire possunt. Longè in aliud Noster incumbebat, cui præsertim non fuit difficile ducere viâ facili & jucundâ ad cujusvis rei, quæ scientiâ comprehendi potest, notitiam, quâ sibi fixam in Musarum regno sedem conciliaverat. Hoc unum deerat felicitati ejus & literarum, ut operaretur illi pariter Philosophiæ, quæ vitæ dux, veritatis indagatrix, Ciceroni dicitur, sine qua non modò nos, sed omnino vita hominum esse non potuisset: quæ urbes peperit, quæ dissipatos homines in societatem vitæ convocavit, quæ eos primò inter se domiciliis, deinde conjugiis, tùm literarum & vocum junxit communione. Huic igitur disciplinarum Reginæ, Po-


liticæ, Procerum voluntate, commodavit prudentiam & dexteritatem suam quovis doctorum ordine, totaq; Republica admirante, quæ talium adsuetudine, & quadam confluentis eruditionis satietate nihil didicit admirari. Maximum autem studium eò circa istam provinciam detulit, ut generosam patriæ spem subolemq́, regnaturam iis præceptis intimiùs imbueret, quibus non uni atque alteri, sed plurimis, imò Reipubl. omni, inservire, hanc institutis, legibus, bonis moribus, fundare, fundatam conservare, conservatam augere atque amplificare, felicem denique reddere & florentissimam valeret. De Optima Rep. ac Civitate septem Græciæ Sapientes diversas aluerunt opiniones, adeo ut illam Solon censuerit Optimam, in qua injuriarum auctores, tam illæsi quàm læsi, in jus rapiant ac puniant; Bias, in qua Legem, tanquam aliquem tyrannum, universi formident: Thales, in qua nec divites neç pauperes cives reperiantur: Cleobulus, in qua reprehensionem magis, quàm legem, metuant subditi: Anacharsis, in qua non opes sed virtutes spectentur: Pittacus, in qua boni tantùm magistratum gerant: Chilo deniq;, in qua Legibus maximè, minimè Oratoribus, præbeatur audientia. Hæcce talia Prudentiæ Politicæ placita, & longè plura, tam altâ mente depromsit Felwingerus, ut ea vel docendo vel scribendo in utroq; excellens fuerit, ubiq; admirandus, nusquam sui dissimilis. Sanè quod de Themistocle inflatum valdè sonuit, cum rogatus in convivio, ut citharam pulsaret, respondit: *Fidibus canere se nescire; ceterùm posse oppidum parvum in magnam civitatem evehere;* id modestiore veritate Nostro liceat applicare, qui etsi gravioris hujus momenti nihil sibi sumeret, tamen non facilè ignorabat. Quare solò Politici nomine plura merita, quàm dies numerans, æternùm de hoc studio merere dignus fuisset. Sed verò affectavit majorem in modum, ut qui esset non æquiore in Musas quàm liberos amore, videre etiamnum vegetus Filium suum charissimum, JOANNEM JODOCUM, V. J. Doctorandum, strenuum in hoc munere successorem, quòd imprimis illas nullam mutatione hac jacturam pati arbitrabatur. Scivit, quid Filii viribus confidendum, sat eas non ipse modò, sed cum toto Lyceo exploratas habens; scivit, quid provinciam posset ornandam juvare, si ad frugales suas curas, quas nunquam

quam pro eodem negotio plenè remitteret, vivus assuefaceret filium, quò terras aliquando destituere coactus, in eo tantò majore vivacitate, feliciorisq; Parentis exemplô, superesset. Interim verò poterat accidere quid magis inopinatum? It in vanum vix exortum gaudium, luctusq; objicitur gravissimus, qui læta professionis auspicia feralibus mœstis funestaret, nec vulgarem paternæ exspectationi dolorem circumponeret, quemvis etiam peregrinum, nedum nos, in copiosas lachrymas tristi suâ attrectatione soluturum. Eheu! dulcioris gratulationis locô, quam à posteritate, filium miratura, optimus Parens in antecessum cupiebat lucrari, offensus in hoc solo est à filio, quòd susceptam semel spartam turbato mortalitatis ordine reddebat; quanquam & cordolium istud æquè moderato cum Anaxagora animo tulerit, qui audita morte filii, *Nihil*, inquiens, *mihi inexpertum aut novum nuncias, ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem*; veri & imperterriti Philosophi encomiô retinetur. Atq; notari hic debet mira utiq; vicissitudo, quâ aliquot ante annos Metaphysicâ, Logicâ brevi ante obitum, abscedens, è cunctis Politicam, postquam denuò in eam redivit, semper fama comite prosecutus est, donec labefactatus hic unitatis contextus fatali divisione totus dissolveretur. Id unum cum dispendio viri hujus conjunctum esse rei literariæ conducit, quòd tamen duabus hisce veluti consecratum caput donatus sit Excellentissimus *Rötenbeccius*, Gener *Beati* non magis quondam exoptatus, quàm tantorum studiorum felicissimus propagator; qui cum iis non quidem novô fœdere initô, jam jam præclarè excogitat, quomodo non Socerum tantùm referat, sed ingentium meritorum fulgorem adæquet, memoriam *Felwingeri* in ultimas usque terras porrecturus, ut quò celebritatis illius pondus non pervenisset, virtus sua æmula penetraret; cujus etiam amabili vi ab iniqua oblivione vindicaretur, si quando ulli ejus monumento suprema dies immineret. Neque metus est mihi, ne à me quicquam auribus suis dari credatur, recepto jam more Patronis assentandi, si publicè hic agnosco, me non unum apud eum nomen dispungendum habere, quorum magnitudo vel inde appareat quòd sola beneficii professione possit exsolvi, utut pro modestia sua & eandem neget celebrari. Atenim verè amens ego,

ego., qui rem attingere audeo, cui vix ex instituto par tractando esse possem. Abducendus est animus à legitimo hoc obsequio ad ipsum Defunctum, de reliquo nuncio liberiori vitæ remisso, successu maritali contemplandum. Subiit conjugii leges cum Virgine Gratiis suis incomparabili, *Anna Catharina*, Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimiq; Dn. *Christophori Heldii*, JCti & Reip. Norib. Consiliarii primarii, filia; cujus decoram bellissimi corporis faciem hinc animi forma, centum hinc aliæ pulchritudines honestabant, ob quas, biennio abhinc, & quod excurrit, fato functa, lachrymosum sui desiderium reliquerat. Ex ista, sine jurgio, sine offensa, sororis instar à Felwingero amata, octonâ prole felix pater factus est, & quidem ternâ masculinâ, quinâ fœmininâ; quibus deinceps floribus immissi Austri eam, partim ipso vere, partim altiore ætate stragem dedere, ut solùm duos periculum amiserit, *Annam Mariam*, Perquam Reverendo & Clarissimo Dn. M. *Joanni Guilielmo Reinsbergero*, Happurgensium Pastori Vigilantissimo, & *Catharinam Sibyllam*, modò laudato *Rötenbeccio* nuptiarum pacto vinctas; quarumq; ex illa varios nepotes & neptes deosculabatur, sicut non minùs ex altera nepte, quâ eum filia natu maxima *Clara Catharina* augebat, proavus proneptem conspexit. Gratulanda esset hæc ei felicitas, suis quoque acerbis permixta, nisi potiùs mors ejus, quò tandem delabor, junctis simul totius eruditi orbis suspiriis conquerenda. *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem*, etsi nullus difficilior possit injungi! Jactatus in juventute Felwingerus crebris morbis, ab iis in senectute, quæ ipsa est morbus, multò minus erat liber, sed nunc catarrho valido, linguæ usum sufflaminante, nunc recidivo, modò erysipelate, modò alio conflictatus malo, singulis peculiarem valetudini cladem afferentibus, ac semper iterata cum vice invalescentibus, illam tantùm non subiit afflictionem, ut planè à tuendo suo officio impediretur, cui etiã inter salutis discrimen sæpè vacabat. Nihil quippe adversi patientiam ejus læsit, cùm, turbinibus fortuitorum calcatis, adversus ea constante duravit proposito, quô pro molesto aut gravi quicquam non habebat. Certè calamitates miraculum faciunt aliquem, naturam superando; tale in eo meritò comploramus ereptum, qui, quod in acupictis est, lucidio-

cidioris coloris imago, iis, velut ex opaco magis ſtamine, totâ vitâ præfulſit. Itaq; nullis anguſtiis, ſoli fato ſuccubuit, cujus neceſſitatem exponere ſenſit novum ægrorem tenaciore alvi profluvio vires ejus brevi depopulantem, ut de quantulacunq; colligendi eas ſpe conclamatum ſit. Triſti conjecturæ triſtior ſupervenit eventus anni exſpirati (1681) die 23 Octobris, quando in mortis poteſtatem omni, quod mortale acceperat, datô, vitales auras, pias inter preces Dn. Generi, Filiarum, Neptis, & quorundam ſtudioſorum, mediâ tertiâ pomeridianâ liquit, atque hinc in communem locum placidè commigravit. Leſſus ei, næniæ & mortualia fiebant, neque ſepulchrum ejus ulli adhuc indefletum videmus. Lugent Muſæ ac Virtutes utriusq; chori Coryphæum, quas, ipſis earum ſacris tanquam Jupiter Stator, labentes jam jamq; caſuras hactenus ſuſtinuit, ut famam ejus iisdem ferè ac Solis terminis circumſcripſerint, dolentes illud ſibi obſtare, ne plenum & ſolidum conſequantur ſolatium, quòd, dum luce fruebatur, hanc non omnes magni ingenii ſui fœtus aſpexerunt. Lugent omnes, qui literis cenſentur decus & ornamentum, ſiquidem non tantùm intelligunt ſcriptorum ejus præcellentiam, quàm multitudinem exquiſitam mirantur, cujus nervo, licet in ea ſecula incidat, in quibus vix ullum, quod non dictum ſit, dicatur, tamen exiſtimatio ſua, quousque honos ſtudiis, conſtat. Luget Academia ſplendidiſſimum membrum, quæ quaſi theatrum illius ingenii fuit, nullâ pro eo curâ defatigati, nullô unquam labore fracti, quin vigilanter attendentis ſubinde, rectô ut omnia talô ſtarent, ſeq; eâ rerum copiâ & theſaurô inſtrueret, ad quem, quoties uſus exigebat, tanquam ad dives aliquod penarium iretur. Lugent honores dexterrimum cuſtodem, quorum ſtadium ritè decurrit, &, ſive Philoſophicum Decanatum gereret, (geſſit verò hunc nonum) nunquam fere Candidati defuerunt, ope & auſpiciis ejus in interius Sapientiæ delubrum introducti; ſive Rectoratus inſignibus diſtingvéretur, (id quod ei bis contigit) non triſti ſupercilio, non voce aſperiore, ſed gratiâ & placidô quodam rigore effrenem ſuſtulit licentiam, ut intra unum aut alterum exemplum ſtante omni delicto felix maneret Reſpublica, quam Philoſophus gubernabat. Lugent pauperes liberalem Eleemoſynarium, dum quotidianis

ſparſim largitionibus cœleſtes divitias fœneratò conſecutus, divites docuit ſuas augere opes inopibus diſpergendo. Lugetis deniq; orbata Domus Columen, Boni candidam Mentem, Vos Dnn. Profeſſores & Studioſi Collegam & Patronum æſtumatiſſimum, qui etiam ad leniendum veſtrum deſiderium, non caduco lapide & mortalibus materiis templum decernitis, ſed in fidiſſimis pectoribus Virtutis ſuæ ſimulacrum duraturum ponitis. Modò non lugent invidi, quorum antiquum & vetus eſt promeritæ laudi obſiſtere, & ubi ſemina intra glebas elidere non potuerunt, eam adultam quomodocunq; præfocare. Quid ego ereptum redditurus, ſi lacrumis emereri Manes poſſent? Gratulor Tibi, Beatiſſime *Felwingere*, æterna jubila, ſed nòn minùs gravem Tui jacturam doleo; ſicq; verbis parco, quòd dolores leves loqvuntur, ingentes ſtupent.



STVDIVM ET LABOR
M. JOH. PAVLI FELWINGERI,
Profeſſoris Norici, Vniverſitatis Altdorfinæ Senioris, & Stipendiariorum ac Beneficiariorum Inſpectoris, piè denati d. 23 Octobr. 1681.

In Theologicis.

Collatio Religionis Evangelicorum, ſeu Lutheranorum, cum Religione Vnitariorum, ſive Photinianorum, contra M. Valentinum Baumgart.

Immodeſta Modeſtia, quâ immodeſtus Photinianus è Tranſylvania M. Valentinus Baumgart, cœtûs Claudiopolitani Miniſter, & Gymnaſii ibidem Rector, Joh. Paul. Felwingerum, Profeſſ. Altdorfinum excepit.

Concuſſio primæ Normæ Religionis Photiniano-Zwickerianæ, de Diſparatis.

Incarnatio Jeſu Chriſti, contra M. Valentinum Baumgart.

Solida & in Scripturis fundata Demonſtratio veræ & ab æterno Jeſu Chriſti cum Patre ſuo coëſſentialis Divinitatis.

Jonæ

Jonæ Schlichtingii à Bukowiek, Photiniani magni nominis, centum argumentorum, à Nicolao Cichovio, pro vera & æterna Jeſu Chriſti Deitate, Exciſio.

Examen Methodi Auguſtinianæ, contra Walenburgios.

Vindiciæ Incarnationis Jeſu Chriſti, æterni Patris æterni Filii, pro Alberto Grawero, contra Valentinum Smalcium.

Speculum Veritatis, contra Wilhelmum Chriſtianum Marchionem Brandenburgenſem, de Sacra Scriptura.

Aucupium pecuniæ, i. e. de Miſſis Solitariis, contra Joh. Theophilum Klibniz.

Diſceptatio Theologica Anti-Photiniana, de Ratione in Theologia, contra Florianum Cruſium, vel contra Crellium.

Ἀνέκδοτον.

Democritus relegatus. i. e. Refutatio libelli Papiſtici, cujus titulus: Lacht überlaut/ die Acatholiſchen wollen einmahl Römiſch-Catholiſch werden.

In Logicis.

Explicatio Prioritatis Naturæ.

De Prædicamentis, X Diſputationibus expoſitis.

De Propoſitionibus & Syllogiſmis Modalibus.

De Syllogiſmis Imperfectis, & aliis ſimilibus.

Methodus Diſputandi Kesleri, cui addita eſt Appendix de Diſputatione.

De Demonſtratione.

Palæſtra Rationis de Propoſitionibus & Syllogismis Exponibilibus.

De Doctrina Suppoſitionis, Ampliationis & Status.

De Sophiſticis Elenchis, contra Fauſtum Socinum.

De Syllogiſmo Expoſitorio, A. Joh. Henrico Prieſter.

Ἀνέκδοτα.

Commentarius in ſeptem libros Topicos.

Commentarius in librum primum Analyticorum priorum.

Commentarius in librum ſecundum Analyticorum priorum.

Commentarius in librum primum Poſteriorum Analyticorum.

Commentarius in librum περὶ ἑρμηνείας.

In Metaphyſicis.

Commentarius in ſex libros Metaphyſicos Ariſtotelis.

De Bono. De Malo. De Vero. 1. 2. De Falſo.

De Distinctione, ejusq; generibus.
De Causa Sine qua Non.
De Potentia Dei Absoluta.
De Concursu Dei, sive Causæ primæ cum secundis.
De Causa Formali Mali.
De Habitibus in genere.
De Essentia ac Existentia.
De Principio individuationis.
De Simplici & Composito.
De Causa per Emanationem.
De Necessario & Contingenti.
De Natura & Essentia Luminis Naturæ sive Rectæ Rationis, & Lumine Revelationis.
De Existentia DEI naturâ cognoscibili.
De Potentia & Potestate DEI in homines.
De Potentia DEI Absoluta & Ordinata.
De Æternitate.

Ἀνέκδοτα.

Institutiones Metaphysicæ, libri Tres.
De Causis Tractatus.
Institutiones Metaphysicæ breviores.

In Politicis.

Dissertationum Politicarum Tom. 1.
Dissertationum Politicarum Tom. 2.
Dissertationum Politicarum Tom. 3.
Tractatus de Arte χρηματιστική.
Tractatus de Judice. Tractatus de Magistratu.
Tractatus de Consiliariis, Senatoribus, & Legibus.
Observationes in Ideam Franconis Burgersdicij.
Disputatio de Dictatore.
Disputatio de Servo Naturali.
Disputatio de Prædâ Militari.
De Præda Militari, pars altera.
Disputatio de Dominio Eminente.
Disputatio de Novitatibus in Republ. vitandis.
Disputatio de Temeraria Provinciarum invasione & occupatione.
Disputatio de Mediatoris Officio, ejusque requisitis, de Universali Mediatoris Officio.
Velitatio Quæstionis, An in Tractatione Pacis, Belli causæ à Pacis conciliatoribus examinandæ?
Disputatio de Armatura Epistolari.
De Origine, Progressu & Fatali Rerumpubl. periodo.
Decades duæ Quæstionum Nomico-Politicarum.
De Principiis sive Fundamentis Civilis Prudentiæ.
De Genuina Rerumpubl. Origine.
De Spoliis belligerantium.
De Bello R. Preiseggero.

Jam

JAm verò, poſtquam venerati ſumus Sacros Profeſſorum Altdorfinorum piè defunctorum Manes, reliqvum eſt, ut hodie per DEI gratiam ſuperſtitum, ac publicè in Vniverſitate Norica docentium Nomina commemoremus, eo quidem, quo in anniverſario, ac noviſſimè etiam edito, Prælectionum Catalogo conſignati ſpectantur, ordine.

Profeſſores Theologiæ:

Johannes Saubertus, D.
M. Lucas Friedericus Reinhart.
Johannes Fabricius.

Profeſſores Juris:

Georgius Reichardus Hammer, D.
Henricus Linck, D.
Johannes Antonius Geiger, D.
Johannes Chriſtophorus Wagenſeilius, D.

Profeſſores Medicinæ:

Mauricius Hoffmann, D.
Jacobus Pancratius Bruno, D.
Johannes Mauricius Hoffmann, D.

Profeſſores Philoſophiæ:

Georgius Matthias König.
M. Johannes Leonhardus Schwäger.
M. Johannes Chriſtophorus Sturmius.
M. Daniel Gvil. Mollerus.
M. Magnus Daniel Omeis.
M. Georgius Paulus Rötenbeccius.

ADDITAMENTA.

Quemadmodum venatoris est, omnes quidem feras in sylva indagare; nulli verò vitio datur, non omnes cepisse: ita nobis abunde sit, quædam ex tam vastæ materiæ argumento captâsse, inq; præcedentibus Orationibus proposuisse; reliqua verò, partim secundâ curâ, partim ne, multa allegando, orationis contextus, ac typographi labor, interrumperetur, ad Tractatus hujus calcem conjecisse.

PAg. 5. lin. 9 & 10: *An. 1526. in cœnobio inprimis Egidiano semina futurorum in universam rem literariam incrementorum jecit*] De Gymnasii Egidiani primordiis legi potest *Historica Enarratio* Plur. Rev. Dn. M. Joh. Heldii, de *Gymnasii illius Origine, Incremento, Decremento &c.* Quæ typis impressa est Norimbergæ A. 1673. Cui accessit Philippi Melanchthonis Oratio A. 1526 in laudem Scholæ Egidianæ, Norimbergæ in corona doctissimorum virorum, & totius ferme SENATVS, habita; ut & Eobani Hessi Carmen de eadem Schola A. 1532 scriptum.

Pag. ead. 5. lin. 13, 14: *Laudati jam Senatus id temporis principibus* CASPARO NVTZELIO & HIERONYMO EBNERO.] De his Reip. Norimb. Duumviris Joach. Camerarius in Vita Phil. Melanchthonis, *Norimbergæ* ait, *tum Principes Senatûs erant* DN. CASPAR NVTZELIVS, *&* DN. HIERONYMVS EBNERVS. *In* NVTZELIO *vigebat animus altus atq; magnus, & ita prudens, ut neminem audiverim (cùm sermonibus interfuerim de eo plurimorum) qui in isto genere civilis rationis ac facultatis quemquam præstantiorem illo cognovisse diceret. Quæ secum ipse deliberando è Republica esse statuisset, ab iis nullius odio aut amore abduci se patiebatur. - - In* EBNERO *ingenii major erat mansuetudo, & placidior quietiorq; mentis habitus.*

bitus. Innocentiæ cura summa, & bonæ conscientiæ custodia. Ut horum duûm quasi copulationem civitati illi ad felicem statum Deus largitus esse videri possit, temperamento quodam optimarum quidem naturarum, sed quarum tamen utraq; aliquid haberet alterius dissimile & suum, administrationem Reipublicæ fortunans.

Pag. ead. 5. lin. 21: *Tandem Altdorfium selegerunt*] Est hoc Oppidum ditionis Noricæ, milliaribus tribus Norimbergâ distans, Palatinatui superiori, atque in eo, Cœnobio, cui nomen Mons Gratiæ, vicinum. De quo cœnobio Gasp. Bruschius in Chronolog. Monast. Germ. illustr. Edit. noviss. p. 235: *Gratiæ mons, vulgò* Gnadenberg/ *antiquitus à Quercubus* der Eichelberg/ *cœnobium utriusq; sexûs in Aichstetensi diœcesi, ordinis S. Salvatoris vel S. Brigittæ ad Schvvartzachium amnem in Palatinatu superiori, medio inter Noribergam ac Neumarcam civitates, vel Altdorffum, oppidum Noribergense & Heimburgum castrum, itinere, in amœnissimo monte situm &c.* Joh. Buno ad verba illa Phil. Cluverii Lib. III. Introd. Geogr. Cap. XI. §. 1: Norimberga, in confiniis Franconiæ, Sveviæ ac Bavariæ posita, nullius soli esse cupit. Vrbs est magnifica, splendida, potens, ac totius Germaniæ superbissima; hæc commentatur: *Norimberga, ad utramq; Pegnesi, qui urbem interluit, ripam sita, ad Circulum pertinet Franconicum. Habet territorium satis amplum, & oppida aliquot; in quibus Altdorfium, Academia anno 1575* (rectiùs 1578) *ornatum.* De Etymologia voc. *Altdorfii* Leonh. Wurffbain, JCtus, Reip. Norimb. Consiliarius & Historicus perquam celebris, in MSto, quod in Academica nostra servatur Bibliotheca: Gewiß ist/ daß das Amt Altdorff seinen Namen nicht von dem A. C. 1291 bis 1298 gewesenen Römischen Käiser/ Herrn Adolpho Nassovio, als **Adolphs-Dorf/** sondern von einem Alten **Dorf/** dahero erlanget hat/ wie die inn- und bey einem Alten Dorf gelegene Gebäu zusammen gezogen/ und endlich eine Stadt daraus gemachet worden ist/ daß es den Namen eines Dorfs/ und zwar eines **Alten Dorfs** einen weg als den andern behalten. Auf welche Meinung in unserm Teutschland auch andere Ort/ als Jägerndorf/ Schorndorf ꝛc. und insonderheit das in dem Algau (das ist der Alemannorum Geu oder Landschafft) nicht weit von Ravenspurg/ und vor ohngefehr 600 Jahren angerichteten Frauen-Closter/ **Weingarten**/ ihren anfänglichen Namen eines

Alten

Alten Dorfs erhalten haben. Conferatur cum postremis hisce B. Wulffbainii verbis laudatus antè Bruschius in ead. Chronol. p. 568: *Vinearum, Germanicè* Weingarten / *potentissimum amplissimumq; Instituti Benedictini cœnobitarum in Constantiensi diœcesi domicilium, non procul à Ravenspurgo, Imperiali Suevis civitate, in* perveteri pago *Altdorff ad Schussium amnem eo ipso sed paulatim editiore loco situm, in quo antiquitus patria, natale solum & avita sedes Principum Altdorffensium fuit, ac ex eorundem semine natorum Guelphorum, potentissimorum olim Suevia Regulorum &c.* Sed de nostro Noricorum Altdorfio audiamus pariter B. Joh. Gundermannum, in Præconio Civitatis Altdorfinæ (quod Carmine comprehendit A. 1628) ita canentem:

Non autem Villam, piceis quæ sordida fumis
atq; fimis, circùm validis & cincta molossis,
textaq; viminibus, lento congestaq; limo,
nec domibus pagos dispersis, atq; lacunis
colluvie tetris, — — —
versibus amplectar; validis sed mœnia saxis,
turribus & crebris, portisq; inclusa duabus,
quæ ALTDORFINA *suo, vel* ADOLPHSDORFINA *vocârunt*
nomine, quod nunquam satis extollenda Vetustas
aut dedit, aut forsan primævus conditor illis.
Vrbs hæc terribili Mavortis turbine quondam
Mulciberisq; fuit flammis agitata coruscis,
nec potuit presso proscindi vomere terra,
pristina lascivi nec haberi cura peculi.
Aurea sed postquam sperabant fœdera pacis,
æquas atq; locum circumvolitare coloni
auras cernebant, — — — salubri
& pecudes vesci securis gramine sylvis;
instabant bello lapsas reparare ruinas,
molirìq; domos, manibusq; revolvere ligna &c.

Selegerunt autem Proceres Norimbergenses, præ Valle Angelica & Hersbrucco, Altdorfium, ad transferendum huc Gymnasium, alias inter caussas, auch darum / daß dieses Amt nicht zu weit und nicht zu nahe bey der Stadt Nürnberg gelegen: Item/ daß es wegen der Land-

strassen

ſtraſſen etwas müſſiger / dann andre Aemter / iſt; uti habent verba Cl. Wurſtbainii d. l.

Pag. 6. lin. 10: *Ab altera parte*] Nummi hujus argentei, qui fundamentali Lapidi Collegii Altdorfini, ad poſteritatis memoriam, de more veterum, inſertus fuit, ab altera parte Typus conſpicitur in Emblematibus Altdorfinis f. 4. proximâ poſt Titulum Libri generaliorem paginâ.

Pag. ead. 6. lin. 14: *Sollennis ſubſecuta eſt Introductio*] Videatur hîc Introductio Novæ Scholæ Altdorfianæ Noribergenſium, quæ typis exſculpta prodiit f. 8. Norimb. 1576.

Pag. ead. lin. 15, 16: *Ut videre eſt ex ἐπιγραφῇ, quam Collegii porticus nobis etiamnum exhibet*] Ea verò ſic habet:

B. F.
Hoc Pietatis & Doctrinarum omnium laudandarum
Domicilium
Inclytus SENATUS NORIB. liberaliter
exſtrui curavit,
die, quæ BB. Petro & Paulo ſacra, inauguravit,
& publicavit Anno Chriſt. Salutis MDLXXV,
Imperante Divo MAXIMILIANO II
Cæſ. Aug. P. P.
Curatoribus Eccleſ. & Scholarum
GEORGIO VOLCAMERO, PHILIPPO GEUDERO
& HIERONYMO PAUMGARTNERO.
Ades, ô DEUS, & piis conatibus volens propitiusq;
fave!



Ut certè favor exinde Numinis eluxit,
dum annus quidem MDLXXVIII
ſubſcribente votis Laudatiſſimi SENATUS
Auctoritate & Clementia
Auguſtiſſimi & Invictiſſ. Imp. RUDOLPHI II,

Curatoribus
HIERONYMO PAUMGARTNERO,
WILIBALDO SCHLÜSSELFELDERO,
BARTHOLOMÆO POEMERO,
& JULIO GEUDERO,
In culmen Academiæ Gymnasium evexit.
Tandemq; Annus Æ. Chr. M D CXXIII
Ejusdem SENATUS desiderium sanctissimum
prosperante divinitus plenissima indulgentia
Sacratissimi Cæsaris Aug. D. FERDINANDI II,

Scholarchis
CHRISTOPHORO FÜRERO,
GEORGIO CHRISTOPHORO VOLCAMERO,
UDALRICO GRUNDHERRO,
& CAROLO SCHLÜSSELFELDERO,
Universitatis titulo Privilegiisq; perbeavit.
Fac proprium hoc nobis bonum, o Fons Æterne Boni!

Pag. ead. 6. lin. 21 & seqq. *Academicæ dignitatis cepit primordia - & is ipse nimirum Academiæ hujus fuit natalis.*] Lyceum igitur Altdorfinum per triennium, & plus eo, solo Gymnasii claruit titulo; anno autem 1578, d. 26 Nov. illud Divus RUDOLPHUS II ad dignitatis Academicæ fastigium extulit, concessitq; facultatem in eo creandi Baccalaureos & Magistros Artium ac Philosophiæ. Publicata sunt Academica illa quidem Privilegia A. 1580; non autem festo Petro-Paulino, prout Invitationes geminæ in Emblematibus Altdorf. pag. 47 & 49 tradunt, verùm die Jacobo sacra: sicut non tantùm Panegyris Quarta, Altdorfi f. 8 A. 1581 impressa, (quæ hìc omninò videatur) sed ipsum etiam Senatusconsultum Norimb. id confirmat. Liceat heic inserere *Carmen*, quod panxit eadem circa tempora P. Melissus Schedius, Comes Palatinus, Eques Auratus & Civis Romanus:

ODE
AD SENATUM NORIB.
DE INSTAURATIONE ACADEMIÆ ALTDORFIANÆ.

SI quid, ut magnum, bene condidistis
O PATRES; amplum studiis Lyceum
quàm sub ALTDORFI *bene condidistis*
mœnibus altis!
Oppidum parvo licet inter hortos
ambitu clausum similet Sareptam;
artium seges tamen heic bonarum
floret abunde.
Jamq; per novem genialis annos,
Palladis nutu, Cerere auspicata,
protulit, feretq; dehinc apricæ
messis honores.
Huic ERYTHRÆUS *prior excolendæ*
Rector arcessitus: eoq; misso
sub colum Clothûs aciemq; ferri,
FREIGIUS *arva*
Jure consevit locitata Musis.
Cæteri tradunt operas coloni
mutuas, nullius onus laboris,
terga quod urget,
quamlibet vastum, tolerare segnes.
Hic agrum proscindit, agitq; sulcos;
alter offringit sola dura glebis:
lirat & occat
ille: tum runcant alii frutetum,
germinans cum luxuriem superbam
pingue abutentis mala pullulavit
seminis herba.

Ah quibus secli meruere culpis
morte ab humanis citiore tolli
VOLCAMER *præclarus, itemq;* LÖFFEL-
HOLZIVS *ille,*
Quò minus vesci diuturnitate
lucis, aut saltem locupletiores
quirit usurpare oculis uterq;
frugis acervos?
Hos tamen certè geminos Scholarchas
nulla pòst ætas veniens silebit,
Luna dum nocti præerit, diemq;
ducet Eous.
Dissipent aras Academiasq;
verrium dentes, & aprugna rostra:
misceant cœlo mare factiosi
ardeliones,
Turba sublestaq; fide & profanis
moribus, Colcho gravidi veneno;
luce queis cassos volupe est, & ipsos
lædere vivos:
In Professores furiale vestros
non cadet, multò minus in Dynastas
Ordinis vestri, pietatis antes,
virus Echidnæ;
Invicem sed concilium scholamq;
legibus sanctis bene constitutam
comis edulcabit amor, boniq;
gustus & æqui.
Nam quid heu griphi tot opinionum
commodi præstant? quid habent decori
exacerbatis animis tot hirtæ
verbera linguæ?

Crescit

Crescit augmentumq; minuta sumit
res, ubi concors habitat voluntas:
maximas contrà dedit & dabit dis-
cordia pessùm.

Hoc P. Melissi Elogium, quô nostram exornavit Altdorfinam, quia in paucorum versatur manibus, huc in medium ut proferretur, omninò merebat. Continetur autem in Carminum Fasciculo, qui inscribitur: MELISSI *Mele, sive Odæ ad Noribergam & Septemviros Reip. Norib.* f. 4. *Noribergæ, in Officina hæredum Montani*, A. CIϽ IϽ XXC.

Pag. 7. lin. 2, 3: *Publicata sunt Privilegia hæc*] Consulatur hîc liber, cui titulus: *Actus Publicationis Privilegiorum Doctoralium Univers. Altorph. Norimb. in anniversaria Panegyri DD. Petri & Pauli Apostolor. quæ incidit in* XXIX *Junii diem*, A. C. 1623 *celebratus*. f. 4. *Altdorfi*, 1624. Discere hinc poterit Lector, quanta sollennitate spectabilis illa Panegyris, in præsentia Legati Cæsarei, Perillustris & Generosissimi DN. DN. HENRICI HERMANNI, Baronis ac Dynastæ in Burchmilchling & Wilhermbsdorf &c. ac Serenissimi Principis & Domini, DN. GEORGII OTTONIS, Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bavariæ, & Comitis Veldentii & Spanheimensis &c. Duumvirorum insuper, Scholarcharum, aliorumq; Primariorum REIP. NORIMB. Senatorum, Consiliariorum, plurimorumq; Hospitum Splendidissimorum, celebrata fuerit. Poterit ibidem (ut & ap. Limnæum Lib. VII. de Jur. Publ. Cap. 35. num. 31 & 32,) reperire Diplomata Cæsarea Divorum RVDOLPHI II & FERDINANDI II Impp. Quorum hic pristina privilegia non solùm clementissimè confirmavit, sed præterea, *in vim motus proprii, ad Jurisprudentiæ ac Medicinæ Facultates, nec non potestatem & licentiam creandi Poëtas Laureatos, extendit*, atq; adeo *Academiam*, uti tunc vocabatur, *in Vniversitatem erexit*; (prout hoc quoque singulari indicat omine elegans Anni MDCXXIII Eteostichon: EX ACADEMIA VNIVERSITAS) ita ut in Vniversitate Altdorfina *profitentes, studentes, titulumq; seu gradum aliquem assumentes* (uti verba habent Cæsarei Diplomatis) *gaudeant & potiantur, utiq; frui gaudere & potiri possint ac debeant, omnibus & quibuscunq; gratiis, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, privilegiis, franchisiis, concessionibus, favoribus*

& indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Universitas Coloniensis, Viennensis, Tubingensis, Friburgensis, Ingolstadiensis, Argentinensis, ac alia studia privilegiata, nec non Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei & Scholastici, in suprà dictarum facultatum una vel altera, isthic promoti, aut aliqua dignitate seu gradu insigniti, gaudent, utuntur, fruuntur & potiuntur, quomodo libet, consuetudine vel de Jure, &c. Id tantùm addere hìc liceat, quòd peractis tam in Templo quàm Collegio sollennibus sacris, in Arce Altdorfina Convivium magnificè splendideq; apparatum fuerit, quô juxtà cum Legato Cæsareo, Principe Palatino, ac Perillustri Dn. Barone, Dn. Georgio Alberto à Wolfstein, Dynasta in Obersulzbürg & Pyrbaum &c circiter ducenti tum extranei Nobiles, tum Senatores Patriciiq; & Consiliarii Reip. Norimb., nec non ejusdem Civitatis Theologi, Advocati, Medici, aliiq; cives primarii, ac pari splendore Hospites; humilioris verò conditionis plures quadringentis, de publico fuerunt excepti. Eodem in epulo, nomine Inclyti SENATVS NORIMB. Poculum argenteum inauratum, magni ponderis, atq; affabrè factum, à Magnifico DN. GEORGIO VOLCAMERO, Duumviro primario, Dn. Rectori cæterisq; Professoribus tunc præsentibus ac futuris, in memoriam alterius hujus Natalis Academiæ, dono datum fuit. In cujus Poculi (quod hodieq; POCVLVM ACADEMICVM appellitatur) operculo hæc incisa sunt verba:

VNIVERSITATIS ALTDORFINÆ
Bono fundatæ publico
RECTORI MAGNIFICO, DOCTORIBVS,
PROFESSORIBVS, *Viris Clarissimis,*
ac eorundem successoribus,
in perennaturam rei memoriam,
Inaugurale hoc Poculum

CONSS. ET SENATVS R. P. NORIMB.
cum voto destinârunt
A. S. CIↃ IↃC XXIII, Anniversario
Petro-Paulino.

In

In fundo autem sive pede hæc insculpta leguntur:

Curatoribus Univers. Altorph.

CHRISTOPH. FURER,
GEORG. CHRIST. VOLCAMER,
VLRICO GRUNDHERR,
CAROLO SCHLUSSELFELDER.

Pro-Cancellario

PHILIP. CAMERARIO IC.

Opidi Altorph. Præfecto

GEORGIO POEMERO.

Festi hujus Panegyrici mentionem quoque facit Martin. Zeillerus, in Germania sua Nov-antiqua, oder in der Reiß-Beschreibung durch Hoch- und Nieder-Teutschland / Cap. XIV, pag. 326, dum scribit: A. 1578 ist allda (zu Altdorf) eine Academia introducirt worden/ welche itzige Keiserl. Maj. Ferdinandus II A. 1622 zu einer Universität gemacht: Und ist die Einführung solcher neuen Universität den 29 Jun. Anno 1623 ganz prächtig angestellt und verrichtet worden. Confer cum hoc Zeilleri loco, Topographiam Franconiæ Matth. Merians edit. Francof. 1648. pag. 13 & seqq.

Pag. ead. 7. lin. 21: **WELSERI**, *aliiq; plures*] Quos inter & GROLANDI, HOLZSCHUERI, MUFFELII, RIETERI, STARCKII, TUCHERI &c. Recensita sunt Nobilissima hæcce Nomina habito ad literas initiales respectu. Præterea Musarum Altdorfinarum Patronis, cumprimis ratione Bibliothecæ publ. & museorum in Collegio, annumerandi sunt ÖLHAFII, SCHEURELII &c.

Pag. ead. 7. lin. 26: *In designandis semper* **SCHOLARCHIS QUATUOR**] Hic non abre fuerit debita cum veneratione referre Nomina Dnn. Scholarcharum Curatorumq; ex Amplissi. SENATORIO ORDINE Academiæ huic à prima ejus fundatione præfectorum, eâ quidem, quam Collegii porticus nobis exhibet, serie:

JOACHIMUS HALLER.
GEORGIUS VOLCAMER.
THOMAS LÖFFELHOLZ.

HIE-

HIERONYMVS PAVMGARTNER.
PHILIPPVS GEVDER.
WILIBALDVS SCHLŸSSELFELDER.
BARTHOLOMÆVS POEMER.
ANTONIVS GEVDER.
PAVLVS KOHLER.
JVLIVS GEVDER.
MARTINVS HALLER.
GEORGIVS VOLCAMER.
JACOBVS POEMER.
LEONHARDVS GRVNDHERR.
MARTINVS PFINZING.
CHRISTOPHORVS LÖFFELHOLZ.
WOLFGANGVS HARSDÖRFER.
CHRISTOPHORVS FŸRER.
GEORG. CHRISTOPH. VOLCAMER.
VLRICVS GRŸNDHERR.
CAROLVS SCHLŸSSELFELDER.
JOH. FRIDERICVS LÖFFELHOLZ.
GEORG. PAVLVS NŸTZEL.
LVCAS FRIDERICVS BEHAIM.
GEORGIVS IM HOF.
ALBERTVS POEMER.
JODOCVS CHRISTOPH. KRESS.
LEONHARDVS GRVNDHERR.
VITVS GEORG. HOLZSCHVER.
JOH. JACOBVS STARCK.
GEORG. SIGISMVNDVS FŸRER.
SEBALDVS WELSER.
GABRIEL NŸTZEL.
GEORG. FRIDERICVS BEHAIM.
HIERON. WILHELM. SCHLŸSSELFELDER.
WILHELMVS IM HOF.
JOH. PAVLVS PAVMGARTNER.
CAROLVS WELSER.

Pag.

Pag. ead. 7. lin. 27: *Ac Procancellario*] Nomina DNN. Procancellariorum Acad. Altdorfinæ ſunt:

PHILIPPVS CAMERARIVS.
GEORGIVS REMVS.
JOH. CHRISTOPH. ÖLHAFEN.
GEORGIVS RICHTER.
TOBIAS ÖLHAFEN.
MAGNVS FETZER.

Pag. 8. lin. 2: *Eodem, quo ipſum hoc ſollenniter accidit, natus anno*] Natus eſt FERDINANDVS II d. 9 Jul. A. C. 1578.

Pag. ead. 8. lin. 6, 7: *De cœli ſalubritate lociq; & confiniorum multijuga amœnitate*] Elevationem poli ſive Latitudinem loci ad gradum 49, cum dimidio, ſtatuunt communiter. Cæterùm è rebus naturalibus haud parum corpus afficiunt cœli aërisq; diſpoſitio, quæ habitum animi ſua pro varietate mirum in modum ſæpe mutare valet. Talis verò eſt in tractu noſtro Altdorfino, quæ mollia utplurimum literatorum corpora, repentinâ h. e. naturæ inimicâ mutatione nec adſtringat, nec reſolvat, ſed per intermedium ſenſim ad oppoſitum deducat, ſatis utiliter regimini ſanitatis. Tradit Plinius, Locris & Crotone, ampliſſimis ac famoſiſſimis olim locis, peſtilentiam nunquam fuiſſe; id quod de Crotone etiam vetus confirmat proverbium, cujus Strabo meminit: Ὑγιέστερον Κρότωνος, quô utebantur loci ſalubritatem & aëris bonitatem commendare volentes. Pari felicitate Oppidum hoc & Lyceum, ſingulari DEI benignitate, publicas ſæpe calamitates ſunt eluctata; & confirmant quidam è civibus natu grandioribus, cùm in bello ſuperiore Germanico infeſta lues vicinos circumcirca perculiſſet, eam locum hunc vix ac ne vix quidem attigiſſe. Adhæc laudari meretur ſuburbani ſoli & viciniæ amœnitas. Si varietas delectat, & μεταβολὴ πάντων γλυκὺ, ecce agros, pagos, prata, vireta, hortos florum, frugum, lupuliq; feraces. Egreſſus urbe, utcunq; in orbem circumagas oculos, mirè varians Naturæ facies ſe pandit, alibi in planitiem extenſa proximis ad oppidum ambulacris, alibi colliculis aſſurgens ad montium usque juga, hìc herbeſcens ſativis, ibi vireſcens ſponte natis, commen-

data non ab incolis tantùm & accolis, sed à peregrinis etiam, adeoq; justioribus rerum æstimatoribus. Ambulacra inter, jucundiora sunt *via Philosophica, via Scipionis, via ad Ruperti fonticulum*; quarum postremam Rupertus ipse sub Præfationis sive Dialogismi Mercurio Epistolari præmissi initium, Apellis aut Polygnoti instar, graphicè depinxit.

Nec minùs interea fœtu nemus omne gravescit,
muros Altdorfi quod partes cingit in omnes,
usibus humanis & commoda ligna ministrat,
sponte sua quæ contendunt ad sidera cœli,
extensis latè ramuq; injussa virescunt:
pini altæ, atq; habitæ Grajis oracula quercus,
& tædæ piceæ, Phœbo splendente, fluentes
succis, sic tiliæ, sic alni gloria &c.

Uti habent versus laudati supr. Gundermanni, Senioris quondam Norimbergæ ad Divum Egidii Venerabilis, multosq; per annos meritissimi.

Pag. ead. 8. lin. 9, 10: *Aptissimo ornatu exstructum Collegium*] De Collegii fundatione nonnihil jam pag. 5. & 6. dictum. Audiatur hìc iterum Encomiastes ille noster:

E mundo solem tollat, qui tollere tentet
doctas Musarum sedes, sacrasq; palæstras.
Idcircò Proceres insignes Noridos urbis,
sumtibus haud parvis, haud exiguoq; labore,
Structuræ Altdorfi fundamina ponere saxis
cœperunt, & eam veteri de more vocarunt
nomine COLLEGI, *Phœbo Musisq; dicati.*
Diversis opus hoc domibus consurgit in auras
quatuor, ad patuli regiones quatuor orbis,
quæ sunt porticibus longis, crebrisq; fenestris
egregiæ, nec non hypocaustis ordine multis:
quarum exire unâ turris quadrata videtur,
campanæ tinnitus ubi dat quamlibet horam &c.
Excelsas etiam CollegI nobilis ædes
Nobilis ornavit Sapientia Norica Fonte,
in medio qui stat cancellis undiq; cinctus,
dives aqua, longa quam nocte dieq; ministrans
fistula arenoso conclusa corpore terræ.

Col-

Collegium hoc ædificari cœptum est Anno 1571, consummatum A. 1574.

Pag. ead. 8. lin. 16: *Acroateria quatuor*] (1) Theologicum, idq; amplissimum, cui junctum (2) Philosophicum, (3) Welserianum, (4) Mathematicum. Welserianum, idemq; nitidissimum, Jurisprudentiæ studio inprimis, cunctisq; Actibus publicis, destinatum, condendum, exædificandum, præterea iconibus quatuor Ecclesiæ Luminum, *Augustini*, *Chrysostomi*, *Hieronymi*, & *Gregorii Magni*, exornandum curavit, *Sebastiani VVelseri*, & *Mariæ Halleriæ*, Filius, SEBALDVS WELSER, Patricius Augustanus & Noribergensis, Reip. nostræ Senator, A. C. 1557. d. 10 Septembr. bono publico natus, ac A. 1589, mense Augusto, Vlmæ (cum Dn. ANTONIO GEVDERO, Reip. Norib. caussâ eò ad Circularem conventum ablegatus) immaturo fato defunctus, ibidemq; sepultus. Monumentum in perennem Fundatoris memoriam, supra Acroaterii hujus Altdorfini cathedram, marmoreâ in tabulâ erectum, tale exstat:

DEO VNI ET TRINO SACRVM.

SEBALDVS WELSER, PATRICIVS AVGVSTANVS ET NORIBERGENSIS, LOCVM HVNC, PVBLICIS ALTDORFIANÆ SCHOLÆ VSIBVS DESTINATVM, SVA IMPENSA EXORNARI FECIT, CAL. JVNII ANNO A NATO CHRISTO M D XXCII.

Pag. ead. 8. lin. 19: *Anatomes theatrum*] De hoc vid. pag. 82, & Additam.

Pag. ead. 8. lin. 21: *Sacratæ ad publicos usus Bibliothecæ quotannis accrescens museum*] Primordia Bibliothecæ Academicæ, ratione Loci, quem nunc habitat, colligere quodammodo licet ex Inscriptione sequente, quæ in eadem supra MSStorum scrinia conspicitur:

BIBLIOTHECA
huc translata
auspiciis
Nobiliss. Ampliss. Dnn. Scholarcharum
LVCÆ FRIDERICI BEHAIM,
ALBERTI POEMERI,

 GEOR-

GEORGII IM HOF,
JODOCI CHRISTOPH. KRESS,
Septemviri & Senatorum
optimè merentium,
Rectore Magnifico
THEODORICO HACKSPAN,
SS. Linguæ Profess. Pub.
Bibliothecario
GEORGIO KÖNIG, SS. Theol. D.
Anno
M DC XLIV.

Hunc anni 1644 numerum exprimit distichon itidem intus Bibliothecæ foribus inscriptum:

NorICA qVas CapIat CVras Vrbs InCLVta PhœbI,
hIs Monet eXpensIs BIbLIothеCa noVIs.

Initia verò sumsit hæc libraria nostra à Bibliotheca *Georgii Sigelii* S. Theol. Prof. & Antistitis Ecclesiæ Altdorfinæ, quæ jam inde ab anno 1598 in superiore quodam ambulacri servabatur conclavi. Incrementa cepit liberalitate *Georgii Vogelii*, cujus honori in eodem literarum sacrario hæc consecrata est Epigraphe:

MEMORIÆ ÆTERNÆ SACRVM
GEORGI VOGELI,
QVI HONESTO LOCO NATVS NORIBERGÆ,
HONESTATI ETIAM PIETATIQVE,
DVM VIXIT, LITAVIT,
HANC ACADEMIAM STVDIORVM
SVORVM NVTRICEM
VITÆQVE ET MORVM RECTRICEM
LEGATO CCC. FLORENORVM
IN VSVM BIBLIOTHECÆ
GRATE PIEQVE PROSECVTVS.
OBIIT LVGDVNI BATAVORVM
AN. CIↃ IↃC XXVI. PRID. NON. JANVAR.

FOR-

FORMA, GENVS, SPLENDORQVE ET OPES,
POST FATA VALETE:
HOC HABEO, QVODCVNQVE DEDI PIETATE
MAGISTRA.

Præ cæteris verò ſempiternæ commendari meretur gloriæ Strenuus ac Nobiliſſimus Vir JOHANNES JODOCVS SCHMIDTMAIER, ab & in Schwarzenbruck, Patre cognomine *Joh. Jodoco Schmidtmajero*, & *Maria Magdalena Nützelin*, prognatus A. C. 1611, d. 4 April. ac denatus d. 24 Decembr. A. 1647. Hic namque vivus adhuc donativo florenorum mille ad conſervandam & augendam ſingulis annis Bibliothecam, plurimùm ſibi noſtras obſtrinxit Muſas. Sacra Parentalia Diis Manibus ejusdem publica pietate perſolvit B. *Joh. Paulus Felwingerus*; cujus in Orat. Funebr. hæc ſunt verba: *Nonne ſatis magnificum, quòd non diuturna ac moroſa deliberatione prævia, (quæ munus hoc reddidiſſet quodammodo tardum) ſed hilariter, admonitus ſolùm à Viro Magnifico, Nobiliſſimo Ampliſſ. atq; Prudentiſſimo* DN. LVCA FRIDERICO BEHAIMO, *Inclutæ Reip. Norimb. Septemviro Graviſſimo, Univerſitatis hujus Proto-Scholarcha Meritiſſimo, literarum ac literatorum Patrono Optimo, in Bibliotheca Altdorphina utilitatem & augmentum, vivus Univerſitati donavit mille florenos, ut ex eorum uſu fructu ſingulis annis acceſſione novorum librorum augeretur, & locupletior redderetur.* De cætero effigiem Inſignis hujus literatorum Mæcenatis veneramur etiamnunc in eodem noſtro magnorum animorum & æternitatis Capitolio. Suum quoq; præconium meritò deferendum eſt Perilluſtri ac Generoſiſſimo DN. DN. JOH. DIETERICO S. R. I. Nobili Bandophoro, & L. B. à Taube, Toparchæ in Neukirchen, Hartha, Franckenthal, Höckericht &c. qui Athenis hiſce Noricis ſtudiorum cauſſa commoratus, & acerbo funere merſus, legato trecentorum florenorum, noſtram quoq; ornare & adaugere voluit librariam ſupellectilem. Imaginem ejus ac ſimulacrum pariter ſpectare licet in mundo ſatis ac nitido Bibliothecæ noſtræ conclavi. Monumentum verò vexillo inſertum, & ad memoriam æternitatis in Templi Oppidani choro (ubi ampliſſimè funeratus eſt) juxta cum inſignibus ſuſpenſum, annos Nativitatis ac Mortis ita eloquitur: Der Wolgeborne Herr/ Herr Johann Diete-

rich / des H. Röm. Reichs Edel Panner und Freyherr von Taub/ uf Neukirch / Hartha / Frankenthal und Höckericht. Ist gebohren Anno 1626, den 23 Augusti, in der Churfürstlichen Haupt-Vestung Dreßden: gestorben 1647/ den 18 Febr. zu Altdorf / und folgenden Monat Martii / als den 31/zu der Erden bestattet worden. Laudatione posthuma ipsi parentavit *Nicolaus Rittershusius*, in qua, inter alia, sic loquitur: *Immane nefas contraherem, si reticerem lautißima & amplißima Ecclesiæ, Universitati & Bibliothecæ nostræ relicta legata ultimo elogio suo, ob quæ meritißimo jure inter Patronos hujus Altdorfinæ Minervæ referetur, ejusq; illustre nomen tanquam in peplo quodam, ut olim Homerici Heroës, intextum fulgebit, nec unquam gratæ memoriæ nostræ elabetur.* Accessit deinde publico nostro penori librario, Bibliotheca SEBALDI SNELLII, Alumnorum Noricorum Inspectoris, Viri Clarissimi, inque literis Ebraicis ac Rabbinicis exercitatissimi, & ex doctissimo Tractatu adversus Abarbenelem scripto, in quo argumenta hujus contra fidem Christianam allata, eruditè examinat, refutatq;, item ex non paucorum è Lipmano in latinum translatione, haud incelebris; qui obiit Anno 1651. Accesserunt insuper Bibliotheca B. LUDOVICI JUNGERMANNI, Medici & Botanici nostratis celeberrimi; (vid. supr. Orat. de Medicis Altdorf. pag. 82) nec non è libraria supellectile DN. PAULI PÜHLERI LL. Candidati, heic mortui A. 1647, complura volumina. Magna quoq; (mille videlicet & quadraginta voluminum) accessio facta est ex Viri Summi, DN. JOH. CHRISTOPHORI ÖLHAFII ab & in Schöllenbach, Patr. Nor. JCti Celebratissimi, Comitis Pal. Cæs. Ejusdemq; Majestatis, Ordinis Teutonici, Ducum Saxoniæ, Reip. Norimb. aliorumq; S. Imperii Ordinum, Consiliarii, Universitatis nostræ Procancellarii &c. Bibliotheca selectissima. Quæ quidem ut materiam crescendi suppeditaret Publicæ nostræ, curavit partim Amplissimorum DNN. SCHOLARCHARUM munificentia, partim ipsius Filii HIERONYMI ÖLHAFII propensa in Lyceum nostrum liberalitas; prout id ex sequente, quæ pariter in nostra isthac Musarum æde legitur, dispalescit Inscriptione:

IN HAC BIBLIOTHECÆ PARTE,
(EX ALTERA EMTIONIS TITVLO A FRATRE
ACQVISITA HVICQVE ADDITA
MAGNIFICO NOBILISSIMO PERSTRENVO AC
PRVDENTISSIMO
CVRATORVM ACADEMIÆ HVJVS COLLEGIO,
SINGVLARIS MVNIFICENTIÆ GLORIAM SIBI
VINDICANTE)
OLIM SVA,
NVNC LEGATI JVRE NOSTRA
VIVERE VOLVIT ET NOMINIS FAMAM PER-
PETVARE
CÆTERA MORTALIS
VIR NOBILISSIMVS
DN. HIERONYMVS ÖLHAFEN A SCHÖLLENBACH,
PATRIC. NORICVS,
QVI COLLATIS AMPLISSIMIS BENEFICIIS
A MAGNIFICO ET NOBILISSIMO PARENTE
DN. JOH. CHRISTOPHORO ÖLHAFIO
AB ET IN SCHÖLLENBACH
JCTO CELEBERRIMO
IN HANC VNIVERSITATEM, CVJVS ERAT
PROCANCELLARIVS
HANC ETIAM PATERNÆ HEREDITATIS PARTEM
TESTAMENTO ADJECIT.
CVI GRATITVDINIS TEST. ERGO H. M. L. M. P.
ACADEMIA ALTDORFINA
cIↃ IↃC LIX.

Atque ita ab exiguis profecta initiis, haud contemnendas in opes crevit Bibliotheca nostra Academica; nec pœnitendis crescit crescetq; auctibus, destinatis ad hos quotannis florenis octoginta. Neque destituitur MSStis omninò Codicibus; quos inter commemorari merentur Codex partem maximam membranaceus, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ & Johannis, antiquâ Syriacâ linguâ & literâ conscripta exhibens; libellus antiqvus Orationum, linguâ Abyssinensium descriptus, P. Orosius cum Ravennate MStus, Codex R.

Lipmanni *Nizachon*, quem B. Hackſpanius primus luci publicæ expoſuit; (de quo vid. Celeberr. Wagenſeilius in *Sota*, & Append. quidem pag. 3. & ſeqq.) ac plura alia, cumprimis Joh. Prætorii, inſignis illius Mathematici (de quo vid. ſupr. pag. 109, 110) MSSta quamplurima. Bibliothecæ hujus publicæ Præfectus primus fuit maximè Rev. DN. D. GEORGIVS KÖNIGIVS, S. Theol. D. Prof. Primarius & Eccleſiæ Antiſtes; ſecundus isque etiamnunc (utinam diu!) ſuperſtes, Ejusdem μακαρίτου Filius GEORGIVS MATTHIAS KÖNIGIVS, Græc. Lingv. & Poëſ. Prof. P. Bibliothecæ Veteris Novæq; Auctor longè Clariſſimus, atque ipſe περιπατοῦσα βιβλιοθήκη.

Pag. ead. 8. lin. 29: *Præſide Inſpectore, viro ſemper doctiſſimo*] Nomina *Dnn. Inſpectorum* Alumnor. Noricor. ab Anno Chr. 1575. ſunt:

M. Caſpar Odontius.
M. Henricus Riſius.
M. Johannes Weidner.
M. Johannes Stamler.
M. Johannes Ingolſtetter.
M. Johannes Breu.
M. Martinus Geislinger.
M. Johannes Hagendorn.
M. Johannes Zunner.
M. Abraham Boxbarter.
M. Chriſtophorus Leibnitz.
M. Leonhardus Lemmermann.
M. Jeremias Höltzlin.
M. Johannes Albinus.
M. Johannes Saubertus.
M. Johannes Schäfer.
M. Cornelius Marci.
M. Jacobus Bruno.
M. Johannes Weinmann.
M. Marcus Kräer.
M. Joh. Paulus Felwinger.
M. Joh. Henricus Blendinger.

M. Mat-

M. Martinus Beer.
M. Sebaldus Schnell.
M. Joh. Conradus Dürr.
M. Johannes Held.
M. Johannes Ehe.
M. Joh. Elias Rew.
M. Juſtus Jacobus Müller.
M. Georgius Paulus Rötenbeck.
M. Georgius Albertus Hagendorn.

Fuit Alumneum hoc eruditorum virorum ſemper ferax, & eſt hodie apparata bonorum librorum, Alumnorum uſibus inſervientium, copia inſtructum.

Pag. 8. lin. ult. & pag. 9: lin. 1. ac ſeqq. *Ambulacra, ſuperius alterum, alterum inferius -- ſeptem nitida, nec ſine multis ſingularibus commoditatibus, præbet receptacula*] Inferioris ambulacri muſea & cubicula, ad dextram, FÜRERI, PAUMGARTNERI, TETZELII, LÖFFELHOLZII, ad ſiniſtram, NÜTZELII, VOLCAMERI, SCHEURELII, ſplendidè exſtrui curârunt; Ambulacri verò ſive pavimenti ſuperioris conclavia, ad dextram, POEMERI, TUCHERI, DERRERI, HOLZSCHUERI, ad lævam, rurſum TUCHERI, PFINZINGII, ÖLHAFII.

Pag. 9, lin. 16, 17: *Ad publicos Dnn. Profeſſorum conventus, alioſq; congreſſus ſollenniores deſtinaverit.*] Maximè Reverendus Dn. D. SAUBERTUS in Orat. Domin. III Trinit. 1677, in Inauguratione novi Rectoris habita, poſtquam amiſſum deploraverat FÜRERUM, ita pergit: *Audiit pariter tamen*, (heſterna panegyris) *ſenſitq; jamdum, ac ſentiet ampliùs profectò, omnem, quam queſti meritò ſumus, jacturam generoſo ſpiritu reſarcire nobis* DIVINUM HEROA, *(ſic prænomen ejus interpretari liceat) ſucceſſorem perinde illuſtrem, &, quod cognomen, & totus ipſe, quantus eſt, ſpondet, nil à Senone niſi* utilia, commoda, *& quæ Eccleſiæ ac literariæ rei* emolumento *ſint, omninò exſpectabimus. Et ſpectate inſignia nec reticenda auſpicia. Ejusdem ſcilicet munificentiæ debemus egregium publicis Senatus conventibus, adminiſtrandæ juſtitiæ, cognoſcendis cauſſis, cogendis conſiliis, examinibus quoq; candidatorum, ante hos quaſi ſex menſes deſtinatum conclave &c.*

Pag. 10. lin. 15: *Nostri Universitatis horti*] De Horto nostro Medico vid. pag. 81 82. 83. & Additam.

Pag. 12. lin. 4: *Julius Conradus Otto*] Priùs *Napthali Margolith* dictus. Gali Rasia, *Occultorum detectio*, prodiit Norimbergæ 1605, f. 4. Exstat & Grammatica ejusdem Ebræa f. 8. edita Norimb. 1605. De hominis nequitia & fraude vid. Clariss. Wagenseilius in Sota pag. 704 & 705. Tradit Andr. Calagius in Natalibus Virorum Illustr. pag. 287, Ottonem hunc, patre Martino Philippo, matre Maria Magdalena, Viennæ Austr. natum esse A. 1562.

Pag. 15. lin. 4, 5: *tredecim millia*] Matth. Merian in Topograph. Franconiæ loc. supr. p. 141. cit. de Lyceo nostro: Es sind nicht allein von allen Orten des Hoch- und Nieder-Teutschlandes / sondern / auch Engelländer / Dennemärker / Franzosen / Irrländer / Schotten / Italiäner / Liffländer / Lothringer / Pohlen / Reussen / Savojer / Schweden / Siebenbürger / Ungarn rc. Studirens halber / und darunter auch viel hohen und mittelmässigen Standes / hieher kommen; weiln die Herren Professores fleissig und fundamentaliter docirn &c.

Pag, 15. lin. 5. *Principes tres*] Horum primus erat JANVSSIVS RADZIWIL, Birsarum & Dubinkorum Dux, S. R. I. Princeps, Jagellonicæ propaginis surculus, atavis editus Regibus, & in Poloniæ solio toties collocatus & coronatus sanguis. Contulit se huc studiorum excolendorum caussâ V Idus Decembr. A. C. 1630. Nomen dedit matriculæ d. 20 Jan. A. 1631, juxta cum Aulæ Mareschallo, Aulæ Magistro, & qui pariter à sacris consiliis erat, Studiorum Moderatore, ephebis insuper ac ministris duodecim. Ipse Princeps albis Studiosorum plerumq; inscripsit: *Invidiam spero, Misericordiam sperno.* Factus postea Palatinus Vilnensis, & exercituum magni Ducatûs Lithuaniæ Supremus Generalis. Deinde verò A. 1676, Serenissimus Princeps ac Dominus, DN. ADOLPHVS JOHANNES, Comes Palatinus Rheni, ac Dux Bipontinus &c CAROLI GVSTAVI, Invictissimi Sueonum Regis, gloriosissimæ memoriæ, Frater, pretiosa duo pignora, Filios Principes, ADOLPHVM JOHANNEM, & GVSTAVVM SAMVELEM, Comites Palatinos Rheni &c in Musarū nostrarum sinum deposuit, ac speciatim curæ & institutioni concredidit Celeberr. nostri *Wagenseilii.* Per cujus etiam manus mox post *Ledæi* hujus *Paris* adventum, Nummus argenteus, sive uti nunc barbarè

barè vocant, metallio, Patribus Academiæ hujus Nutritiis, ejusdemq; Professoribus, velut favoris ac propensæ voluntatis arrhabo, jussu PARENTIS Serenissimi, oblatus est, ut illi vicissim dulcissimos liberos, honorarios Vniversitatis Cives, tuerentur, ac bona hæc sua sanctè custodirent. In altera Nummi illius parte blandi Filiorum duorum Principum exhibentur vultus, circum quos hæc leguntur verba: ADOLPHVS JOHANNES ET GVSTAVVS SAMVEL. DEI GRATIA: in altera, reliqua leguntur illa: COMITES PALAT. RHENI. BAV. JVL. CLIV. ET MONT. DVCES. ac versus hic serto insertus: NOS PATER ÆNEAS ET AVVNCVLVS EXCITAT HECTOR. Neque verò id indignum mentione, quod complures summo loco Principes, Principumq; Legati Splendidissimi, & aliæ Personæ Illustres, Noricam hanc Vniversitatem subinde inviserint, & ut magni Hospites salutaverint. E quibus non possumus non prædicare Reverendissimum Principem ac Dominum, DN. JOH. SWEIGHARDVM, Archiepiscopum Moguntinum, S. Rom. Imp. Electorem, & per Germaniam Archicancellarium &c qui Altdorfium nostrum anno seculi hujus sexto decimo ingressus, & publico Academiæ nomine, à Michaele Piccarto, Philosopho, sequente exceptus est Oratione:

Reverendissime atque Serenissime S. Rom. Imp. Princeps Elector, Archicancellarie per Germaniam, & Archiepiscope Moguntine dignissime,

DOMINE CLEMENTISSIME!

VEtus est verbum & communi jam hominum consensu ratum: Neq; ingentem dolorem, neq; ingentem lætitiam, posse animo contineri nimium diu: Vterq; videlicet affectus prodit nobis sæpè imprudentibus, quandoq; invitis etiam & reluctantibus. Vt enim prægnantes fœminæ, cum fœtus jam maturuit; cum hora pariendi appetit, gliscentes utero dolores ferre non possunt, & necesse habent aut nitendo erumpere, aut renitendo disrumpi: Ita fœtus animi, maximè autem illi, qui sua sponte gignuntur, quorum neque conceptus neq; ortus in nostra potestate

 sunt,

ſunt, ſuâ vi nos in modum torrentis rapiunt; ſi tenes effluunt, ſi premis opprimunt; ſi cogis erumpunt. Hoc adeò ſenſi hodie, Reverendiſſime & Sereniſſime Princeps, in fauſtiſſimo illuſtrismoq; tuo in hoc oppidum ingreſſu. Tantam enim tamq; raram & inuſitatam benignitatem, tam promtam atq; apertam manſuetudinem ſilentio premere & cöercere non eſt profectò mearum virium: plus iſta valent ad vim & neceſſitatem dicendi afferendam, quàm ego ad propulſandam. Quod ſi facilius eſt, ut ajunt, viro ſapienti flammam ardentem ore clauſam tenere, quàm lepidum verbum, ſi opportunè dici videatur, non proferre; vos cogitate, qui circumſiſtitis, Viri Præſtantiſſimi, quantò mihi ſit laborioſius homini juveni in tanta tum publica Ampliſſimæ Reipub. Noricæ, tum privata hujus Academiæ gratulandi occaſione, frenare ac ſiſtere linguam, atq; exitu ſuo prohibere totos, ut ſic dicam, gaudiorum exercitus. Ita ſumus homines, ut delectemur honoribus atq; amoris ac benevolentiæ indiciis, ſuntq; tantò gratiora ea nobis, quantò â majoribus & eminentioribus oſtenduntur. Qui verò major honor obtingere nobis potuit? quæ illuſtriora Clementiſſimi affectus teſtimonia? quàm cum tu, Reverendiſſime & Sereniſſime Princeps, Domine Clementiſſime, hoc oppidum ingreſſus es, & hoſpitium tibi hìc parari voluiſti, tu inquam, qui es Auguſtiſſimi noſtri Cæſaris MATTHIÆ oculus, Imperii Germanici dextra, Patriæ communis, ut ætate, ſic affectu pater: qui rebus afflictis ſolatio, nutantibus firmamento, collabentibus ſubſidio es: qui pacem auream ſpargis ſuper terras, bella verò bellorumq; clades, conſilio, auctoritate, omni deniq; ope procul ad barbaros relegas, qui deniq; urbem noſtram ejusq; prudentiſſimum Senatum, clementiſſimè complecteris, ejusq; incolumitatem & dignitatem curæ cordiq; habes. Quæ ſe hìc aperit lætitiæ ſeges? qui montes gaudiorum? quæ maria voluptatum? Mihi tamen accidit nunc, quod ventrioſis vaſis, quæ anguſto ſunt orificio, evenire videmus, ea ſi liquorem conceptum uno

velint effundere impetu, nihil agunt, luctantes enim ad orificium undæ invicem impellunt se repelluntq;, ut sic vix guttatim humor emittatur: ita prorsus hic gaudiorum cumulus, dicere conantem obruit, & dum multa festinant dici, impediuntur omnia, gestit solùm animus, & hujus abundantiæ signa ipsâ impotentiâ profitetur. E plurimis unum hoc licet, nullum huic Academiæ aut Oppido, diem illuxisse sereniorem, festiviorem, lætiorem, nullum honoratiorem, nullum deniq; augustiorem, cujus inclyti immortalisq; tui beneficii memoria sanctissimè etiam hìc conservabitur, neque eam statuæ aut postes loquentur, sed cordibus nostris inscribetur, & animis posteritatiq; seræ studiosè commendabitur, non illa vetustate obliterabitur, non sepelietur oblivione, non celabitur invidia, id quod Reverendissimæ & Serenissimæ Celsitudini tuæ, nomine publico, spondeo & promitto. Quod reliquum est, Reverendissimam & Serenissimam Celsitudinem tuam, Amplissimi Senatus Norici Domini Legati, & Academia nostra, reverenter & demissè rogant, ut illa pro Heroica sua virtute, tenuitatem hospitii, benignè accipere boniq; consulere, affectum verò hunc Reipub. & Academiæ nostræ in posterum quoq; servare clementissimè velit: persvasissimum contrà volunt Reverendissimæ & Serenissimæ tuæ Celsitudini esse: etiamsi virtutum suarum divinarum admiratores & præcones tota Europa habeat plurimos, qui tamen demissius insuper eam veneretur, colat & observet, fore præ se paucos, aut etiam neminem.

Porrò dum Serenissimum Celsissimumque Principem ac Dominum, DN. CHRISTIANVM AVGVSTVM, Comitem Palatinum Rheni &c Domus Sulzbacensis, qui Actui Philosophico d. 30 Jun. A. 1650 celebrato, clementissimè interfuit, aliaq; plura maxima maximorum Hospitum nomina religioso veneramur silentio, illud reticere non possumus, quòd ante sexennium, intra anni unius spatium, præsentiâ suâ Principes sex Serenissimi Vniversitatem hanc reddiderint illustriorem: nimirum laudati antè summa cum animi sub-

miſſione ADOLFVS JOHANNES, Pater, Filiiq; duo Principes, ADOLFVS JOHANNES & GVSTAVVS SAMVEL, Comites Palatini Rheni &c atq; inſuper Fratres Principes PHILIPPVS atq; HENRICVS, Duces Saxoniæ &c nec non JVLIVS SIGISMVNDVS, Dux Wirtembergenſis, Teccenſis & Ölſnenſis in Sileſia &c. Omnibus omnibus Principibus Optimis Max. Academia noſtra, tantæ Illorum clementiæ nondum oblita, vitam precatur, & principalibus ſingulorum virtutibus digniſſimam felicitatem.

Pag. ead. 15. lin. 8, 9: *Eorum octo Magiſtratus ſceptra communibus ſuffragiis fuere collata*] Primus ex perſonis Illuſtribus Rector Academiæ renunciatus eſt A. 1582, DN. JOH. CHRISTOPHORVS à Tſchernembl, Baro Auſtriacus. Hujus Prorector erat *Joh. Buſereut*, J.V.D. (2) DN. NICOLAVS, Comes AB OSTROROG, Polonus, A. 1583. Hujus Prorector fuit *Nicolaus Taurellus*, Med. D. (3) DN. ABRAHAMVS, Burggravius & Baro A DHONA, A. 1598. Prorector *Scipio Gentilis*, V. J. D (4) DN. RADISLAVS Baro A WCHYNIZ & TETAV, A. 1600. Prorector M. *Georgius Glacianus*. (5) DN. CHRISTOPHORVS GANS, L. B. in Putliz, A. 1606. Prorector *Conradus Rittershuſius*, V. J. D (6) DN. ADAMVS A SIENNE SIENIENSKY, Palatinides Podoliæ, A. 1609. Prorector *Andreas Dinnerus* JCtus. (7) DN. GOTHOFREDVS HENRICVS S. Rom. Imp. Mareſchallus Hereditarius, Baro IN PAPPENHEIM, & Dominus in Treichtlingen A. 1610. Prorector *Scipio Gentilis*, V. J. D. (8) DN. ACHATIVS Junior, Burggravius & Baro A DHONA, A. 1619. Prorector *Michael Virdungus*. Rectoris hujus poſtremi *Curriculum annuum* typis impreſſum cernitur, hoc ſub titulo: ACHATII JVNIORIS BVRGGRAVII ET BARONIS A DHONA, RECTORIS ACADEMICI in *Inclyta & florentiſſima Præpotentis Reip. Noricæ Academia Altdorfina Annuum Curriculum*, cœptum feriis Academiæ ſollennibus, menſe Jun. cIↄ Iↄc xix, terminatum iisdem feriis cIↄ Iↄc xx. Altdorf. Noric. 1620. Ad Rectorem Illuſtrem tertium, ABRAHAMVM Burggravium A DHONA, notare obiter liceat, quòd Ejus Dn. Frater HENRICVS, ſub Rectoratu Illius, heic Altdorfii tumulatus fuerit. Monumentum ſepulcrale, Ipſi ſtatutum in choro templi, tale conſpicitur:

HENRICVS Burggravius & Baro à Dhona, cùm ad nobilitatem generis, eximiam animi indolem natura ei tribuisset ab ineunte adolescentia, concessu ac missu Illustris Parentis sui ACHATII, domo profectus, varias provincias adivit, præcipuisq; in Academiis Germaniæ diu magna cum laude versatus est; inde in Italiam transgressus, per triennium & amplius ei perlustrandæ & cognoscendę operam dedit, singulariq; studio linguam, leges atq; instituta populorum, ad hoc artes eas omnes, quæ quidem homine libero ac nobili dignæ sunt, percepit; tandem domum reversus florentissimus Juvenis, dux Fratribus suis ad eundem gloriæ cursum tenendum extitit; quorum etiam unum in hanc Academiam cùm deduceret, ad alterum fratrem ABRAHAMVM, Magnifici eo tempore Rectoris dignitate ornatum, Noribergæ (proh dolor) morbo exstinctus subitò est An. Chr. MDIIC, mense Septembri; ætatis annorum XXV. Funus Altdorffii ei factum summo Academiæ totius & luctu & honore. ABRAHAMVS, ACHATIVS & CHRISTOPHORVS BB. A. D. Fratri Opt. & Chariss. multis cum lachrimis maximoq; animi mœrore præsentes H. M. P. P.

Ad Rectorem Illustrem septimum notetur, quòd ex PAPPENHEMII illius pectore, cùm apud nos degeret, præter humanitatem virtutesq; alias, insignis eluxerit pietas, adeò ut raro exemplo ipsemet à magistro aulæ postulaverit, ut singulis diebus, certis horis, in fundamentis veræ fidei ac religionis, operâ Dn. Herrnschmidtii, præceptoris ipsius, informaretur. Sed *quid non vincit Iberus, quid non Roma potens?*

potens? Hic ipsus est *Pappenhemius*, qui, postea factus Supremus castrorum Cæsareanorum Præfectus, qualem se erga veritatis Evangelicæ amatores gesserit, notius est, quàm ut dici debeat.

Pag. 16. lin. 8: *Quin maculam famæ nostræ inussisset indelebilem*] Vid. hic *Fama Altdorphina*, auctore Andr. Dinnero JC. Anno Domini 1616 edita.

Pag. 23, lin. 6: M. JOHANNES PICCARTVS] Epitaphium ejus, in choro templi oppidani, hoc est: Herr M. Joan. Piccardus / Pfarrherr und Professor allhier / in GOtt verschieden / 28 Octobr. 1584. dem GOtt G.

Pag. ead. 23. lin. 27: *Quadriennio pòst vivendi finem fecit*] Epitaphium in cœmeterio extra urbem ipsi erectum tale reperitur: A. 1598. den 16. Jul. Starb der Ehrwürdig und Wolgelehrt Herr M. Georgius Sigelius / Pfarrherr und Professor der Kirchen und hohen Schul zu Altdorf. Deme GOtt eine fröliche Auferstehung verleihen wolle.

Pag. ead. 23 lin. 28: M. GEORGIVS PFALERVS] De hoc vid. quoque pag. 98. Hic monumentum, quod in templi choro conspicitur, subjungere liceat:

M. Georgius Pfalerus, Norimbergensis, Diaconus hujus Ecclesiæ & Professor S. Hebrææ linguæ in hac celeberrima Academia Altdorfiana, fidelis & diligens, moritur in Christo placidè xxx Sept. Anno cIɔ Iɔ LXXXIV. Ætatis suæ xxxv.

Relligio queritur: mea spes cadis ergò Pfalere?
Spes ait: hunc reddet mox tibi summa dies.

Pag. 25, lin. 7: *Epitaphium ejus*] En ipsum Epitaphium, prout in cœmeterio æri incisum legitur:

יְהֹוָה

SI DEVS EST PRO ME,
QVIS MEVS HOSTIS
ERIT!
ANNO M. D. IC. XII DIE MAI IN CHRISTO PIE ET PLACIDE OBIIT REVERENDVS ET NOB. D. EDO HIL-

HILDERICVS DE VAREL, FRISIVS OR. SS. TH. AC LINGVARVM DOCTOR ET PROFESSOR ALTDORFI.

Pag. ead. 25. lin. 19: M. GEORGIVM VOLKARTVM] Natus hic est Norimbergæ A.C. 1558, d. 22 Apr. Mortuus A. 1628 d. 13. Martii.

Pag. ead. lin. 21: *Ambergam abiit*] Defuncta ibidem est uxor ejus A. 1606; prout hoc indicat Eteostichon *Mich. Piccarti*, in Promulside Carminum:

Honestiss. Matrona, Helena Hellinga, Rev. D. M. GeorgI Volkarti Vxor, moritur Ambergæ 20. Febr. Anni 1606.

BIs Dena en FebrVI nItet Eos æthere Labsa,
ô InfeLICI syDere nata bonIs,
præCIpVè fVnesta tIbI, VoLkarte, tVIsqVe,
ConIVgIs ob soCIæ fata InopIna tVæ.

Pag. 26. lin. 9: *Historia Nationis Germanicæ*] His *Schopperi* scriptis adde Orationes, de *Origine*, *Antiquitate*, *Præstantia*, *Vtilitate*, *Jucunditate*, *& Methodo S. Scripturæ*, recit. Altdorfii d. 15 Jan. 1611. De *Discrimine Religionis Christianorum & Ethnicorum*, recit. A. 1612. De *Vita & Obitu* Dn. D. *Joh. Hochmanni* V. J. D. & in Acad. Tubing. Prof. Celeberrimi, hab. hìc Altdorfii d. 26. Octobr. 1603. Cui accessit *Historica Narratio de Vita & Obitu* Parentis sui D. *Jacobi Schopperi*, Theol. & Concionatoris Biberacensis; qui Epitomen in Officia Ambrosii edidit, ac D. Luthero valde fuit familiaris.

Pag. ead. 26. lin. 10: *Ex Epitaphio hoc*] Descripsit Declamator *Epitaphium Schopperianum* ex libro nescio quo. Legitur verò istud in choro Templi oppidani, prope altare minus, hoc modo:

DOMINI JACOBI SCHOPPERI PIÆ M. SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET IN ACADEMIA ALTDORFINA PRIMARII PROFESSORIS, IBIDEMQVE p. t. MAGNIFICI RECTORIS, CORPVS HOC IN LOCO SEPVLT. EST. QVI ANNO CHRISTI M D XLV I NOVEMBRIS BIBRACI EST NATVS: ANNO VERO M D C XVI XII SEPTEMBRIS, ÆTATIS LXXI, ALTDORFI PIE IN CHRISTO DENATVS SPE LÆTISSIMÆ RESVRRECTIONIS.

In Programmate Funebr. hæc, inter alia, leguntur: *Eripit nunc* (DEVS) *caput nobis nostrum, virum ut per omnem Europam celeberrimum, ita omnibus de causis venerandum, perpetuam & non interruptam Pietatis ideam, atq; omnium Virtutum Christianarum domicilium, Magnificum, Reverendum, Clarissimum Virum, Dn. D. Jacobum Schopperum, Theologicæ Facultatis Antesignanum, & Ecclesiæ hujus oppidi præconem indefessum &c.*

Pag. 27, lin. 23: *Beatissimè tandem exspiravit*] *Königio* mortuo parentavit *Joh. Conradus Dürrius.*

Pag. 28, lin. 33: Ungerrecht *dictus*] Hic postea ad Divum Jacobi Pastor diem obiit Norimbergæ A. 1632.

Pag. 29. lin. 5: *Præter cæteras*] Exstat quoque *Ritteri* Hebdas prior morientis Christi Apophthegmatum. f. 4. A. 1623. Et Hebdas posterior Dispp. Theol. de VII Miraculis circa mortem Christi factis, anno eod. impressa.

Pag. ead. 29. lin. 32: *Inter cœlites vivere cœpit*] *Saubertum* mortuum laudavit Joh. Valentinus Andreæ scripto, cui titulus: JOHANNIS SAVBERTI THEOLOGI VMBRA, *delineata à Joh. Valentino Andreæ*, Stutgardiæ, A. 1647. Exstat etiam *Joh. Stephani Deckeri* Lamentatio super obitu JOH. SAVBERTI, sub finem Oratoris Historici Christ. Ad. Ruperti, pag. 1112 seqq.

Pag. 32, lin. 5: *Ad ultimum quidem vitæ spiritum*] Obiit *Althoferus* Culmbaci A. C. 1660.

Pag. 34 lin. 17, 18: *Se non pauca didicisse*] Meruit hæc quoq; Dissertatio ex inæstimabili lectione sacrorum pariter ac profanorum Scriptorum concinnata, applausum *Octavii Ferrarii*, Italorum Eloquentissimi, quando de eadem, in Epist. ad Filium *Joannem Fabricium* V. C. Patavio A. 1673 missa, ita scribit: *Novo me munere provocâsti, docto, Jupiter, & laborioso, ut aureis ærea permutares* &c. Commendandæ itidem hìc sunt Dispp. illæ geminæ, quarum altera sub præsidio B. *Dn. Fabricii* habita est de *Imagine Dei & Statu primi hominis*, Resp. Joh. Conr. Dürrio A. 1647; altera de *Lapsu humani generis & Statu peccati*, Resp. Sam. Spörelio A. 1648.

Pag. ead. 34, lin. 20: *Qui inscribitur Raphael- dicatus est*] Post beatam Optimi Viri mortem lucem viderunt publicam, die Gedult-Schul/oder CIV Predigten über den Job; auch ein geistliches A B C,

oder XXIII Predigten / in welchen vierwörtige Sprüche der H. Schrifft / nach Ordnung der Buchstaben des Alphabets / erkläret worden. Memoria JOH. FABRICII servata à *Joh. Conrado Dürrio*, præfixa est Prælectionibus Theologicis à Plur. Rever. τ̃ μακαρίτȣ Filio editis.

Pag. 35. lin. 18: *Typographiam orientalibus literis instructam*] Ita B. Felwingerus in Parentat. de Schmidmajero: *Quo animo erga eos, qui bonas literas, vel aliquam Philosophiæ partem explicarent, affectus fuerit, inde quoq; clarissimè colligimus, quòd maximis itidem sumtibus typographiam nostram literis Arabicis, Syriacis, Rabbinicis, Hebraicis, beatiorem, instructiorem & splendidiorem fecerit &c.*

Pag. 37, lin. 25: *Obiit ante quadriennium*] Ita tunc Orator. Obiit verò B. *Dürrius* d. 4 Jul. 1677, cùm vixisset annos unum quinquaginta, & menses septem.

Pag 43, lin. 8: *Rector Lycei hujus publicè renunciatus est à Philippo Camerario*] Legitur hæc Oratio *Camerarii*, & ipsius pariter *Freigii* Oratio, habita, cùm ipsi Rectoratus Scholæ hujus demandaretur, sub initium libelli f. 8. cui titulus: *Orationes in Gymnasio Altorfiano partim à Rectore* JOAN. THOMA FREIGIO J. V. D. *recitatæ, partim Adolescentibus recitandæ traditæ &c* Norib. 1578.

Pag. ead. 43, lin. 34: JOHANNEM BVSEREIT] Rectius BVSENREVT, vel BVSEREVT. Ita enim habet titulus Carminis à Busereutio nostro relicti: *Historia Divi Nicolai, Carmine Elegiaco conscripta à* JOANNE BVSEREVTIO, *Augustano.* August. Vindel. f. 4. A. C. 1570. Alius fuit JCtus I B. BVSEREIT, qui scripsit de Societate. Tumulatus est noster in cœmeterio Norimb. ad Divum Johannis; ubi Inscriptio sepulcralis hæc viatorum oculis objicitur:

JOH. BVSENREVT J. V. D. REIP. NORIB. CONSILIARIVS ET ADVOCATVS, SIBI, CONJVGI, LIBERIS, POSTERISQ. EORVM POS. A. M D C III. QVI OMNES HIC EXPECTANT CARNIS RESVRRECTIONEM ET VITAM ÆTERNAM.

Pag. 44. lin. 23: *Collectanea & Indicem in Lucretium*] Accusatur *Giphanius* à nonnullis plagii in Lucretio præsertim, & aliis scriptis

à se editis, commissi. Vid. *Jac. Thomasius* in Plagio Liter. §. 445, 446, 447.

Pag. ead. 44. lin. 30, 31: HVGO DONELLE] De *Donello* vid. nonnulla in *Vossii Præfat. Tractat. de Historicis Latin.* Mortuum laudârunt *Scipio Gentilis*, & *Casp. Paumgartner.*

Pag. 49, ad marginem: *Epitaphium Descriptum vid. in Cl. Königii Biblioth. Vet. & Nov.*] Placet Epitaphium *Scip. Gentilis* huc apponere, prout spectatur in choro templi, prope sacrarium, æri incisum:

D. O. M. S.

SCIPIONI GENTILI ICTO, MATTHIÆ MEDICI FILIO, ALBERICI JCTI FRATRI, CLARA NOBILIQVE FAMILIA IN MARCHIA ANCONITANA NATO: PATREM ET FRATREM, SOLA PIETATE IMPELLENTE, EX ITALIA PATRIA IN GERMANIAM SECVTO, INQVE EA PROPTER SVMMAM VIRTVTEM ADMIRABILEMQVE DOCTRINAM, INPRIMIS AVTEM JVRIS EXACTAM PERITIAM, AD EAM NOMINIS FAMÆQVE DIGNITATEM EVECTO, VT CVM SVMMIS GERMANIÆ JCTIS COMPONERETVR: OB EAMQVE REM AB INCLVTO SENATV NORIMB. ACADEMIÆ SVÆ LAVDATISSIMÆ JCTIS CELEBERR. PIE DENATIS SVFFECTO, ATQVE VNA IN NVMERVM CONSILIARIORVM COOPTATO, INQVE ISTIS MVNERIBVS SVMMA FIDE, LAVDE, DIGNITATE VERSATO: TANDEM, CVM ET CONSILIIS REMP. ET DOCTRINA JUVENTVTEM PLVRIMVM JUVISSET, EDITISQVE PRÆCLARISSIMIS DIVINI INGENII MONVMENTIS VNIVERSAM REM LITERARIAM EGREGIE DEMERVISSET: DEO OPT. MAX. ITA VOLENTE, VIVIS CVM DAMNO ET LVCTV PVBLICO EXEMTO, ET HOC IN LOCO, JVXTA OSSA MAGNI ILLIVS ET PER OMNEM ORBEM CELEBERRIMI HVG. DONELLI, CVI VIVO VIVVS OMNI ADFECTV CONJVNCTISSIMVS, INGENIO ETIAM PROXIMVS FVERAT, IN CHRISTO JESV REQVIESCENTI HOC MON. POS. CVM LACRVM.

MAG-

MAGDALENA GENTILIS DOMO CALANDRINA CÆS. CALANDRINI PATR. LVCENS. F. MARITO KARISS. HONORATISS. ÆGIDIVS ITEM ALBERICVS F. VNICVS ET ESTHERA MAGDALENA F. VNICA PATRI OPT. NEC NON DESIDERATISS. ☉ VII EIDVS SEXTIL. cIↄ Iↄc XVI. ÆTAT. LIII. S. T. T. L.

Pag. 52. lin. 7. 8: *Aliaq; insigniora incomparabilis ingenii sui pignora*] Inter quæ non reticendæ sunt *Notæ in Epistolam Amphilochii, Episcopi Iconii ad Seleucum*; & *Carmina* ejus, quæ collegit Auctor *Tomi III. Delit. Germ. pag. 843. seqq.* Mortuo Generos. Dn. *Christoph. Adamus Wenzelik à Sarabiz in Trisch*, & *Casp. Pansa*, Philos. ac V. J. D. Reip. Norimb. Advocatus, parentârunt.

Pag. ead. 52. lin. 12: JACOBO TETENSIO] Fuit hic apud nos Juris civilis ac Ethices Professor. Decessit hinc in patriam (erat verò Eiderstatiensis) A. 1594.

Pag. 53. lin. 16: *Animam Creatori suo reddidit*] De vita & morte *Dinneri* peroravit *Fridericus Tucherus*, Patric. Norimb.

Pag. ead. 53. lin. 33: *Signa immortalia*] Oratio ejus de Milite Vespertilione reperitur in Thesauro Politico Besoldi pag. 508.

Pag. 54. lin. 3: *Assessor meritissimus extitit*] Vid. plura de *Ungepauero* in *Adr. Beieri Nomenclat. Prof. Jenens.* pag. 597, seqq. Symbolum Viri notum est: *Jova juvat: juvit Jova: idem Jova juvabit!* Obiit An. 1659.

Pag. ead. 54. lin. 21: *Consilia tutissima quotidiè germinabant*]. Elaboravit quoque Varia Consilia. Obiit A. 1646.

Pag. ead. lin. 28: *Denatus est*] Frauenburgio *Hector Pömer* parentavit.

Pag. 55. lin. 6, 7: *Ante hos viginti annos - terræ est traditus*] Obiit namq; Ludwellus A. 1663. Dîs Manibus ejusdem Sacra Parentalia persolvit *Ernestus Cregelius*. Epitaphium Ludwellianum in sepulchreto nostro isthoc est:

D. O. M. S.

NE NEGLIGENTER PRÆTERI VIATOR, WILHELMVM LVDWELLVM PATRIA ELBINGENSEM, GENERE NOBILEM ANGLVM, JCTVM SVMMVM ET IN HAC ALTDORFINA VNIVERSITATE PER XXXII ANNOS ANTECESSOREM LONGE CELEBERRIMVM, NORIBERGÆ DELICIVM, PRINCIPVM ORACVLVM, INGENTEM GERMANIÆ THESAVRVM, MORTE PIE OBITA PRID. ID. SEPTEMBR. ANNO SVÆ ÆTATIS QVASI LXXIV, CHRISTI cIↃ IↃc LXIII, HVC CONDI CVRAVIT, SPATIO SIBI DILIGENTER SERVATO, VIDVA MOESTISSIMA, ANNA MARIA, PATRICIA SITZINGERIANA.

DIA. LATENT. TVMVLO. VIRTVTVM. MVNERA. CLAVSA.
QVÆ. SOLA. ERVPIT. FAMA. PERENNIS. ERIT.

Pag. 57. lin. 10: *Vt plenus æternæ vitæ conviva - decessit*] Hæc & præcedentia verba ex Epitaphio Kobiano desumta sunt, quod totum nunc suppeditabo:

JOHANNES KOB FRANCVS V. J. ET PHIL. D. REIP. NORIB. CONSILIAR. AD JVSTITIAM, HVMANITATEM, CONCORDIAM, IN DOCENDO ASSIDVITATEM D. PALMAR. AN. ER. C. M. D. XC NATVS, IN NOBILI ALTDORFINA SENIOR, MVLTISQVE PROFESSIONIBVS PER XL ANNOS EXERCITATVS, IN COELESTEM TANDEM LÆTITIAM EXCITATVS PIE CANTANDO, VT PLENVS VITÆ CONVIVA RECESSIT XXX JANVAR. MDC LXI. ANNO ÆTATIS LXXI.

De *Kobio* plur. vid. in Orat. de Philos. Altdorf. p. 104. 105.

Pag. ead. 57. lin. 19: *Magnæ matri concreditus*] Epitaphium Viri, supra *Matth. Bergii* monumentum sepulcrale, eodem in saxo, (quô etiam *Conradus Rittershusius*, Pater, tegitur) tale nostro subjicitur conspectui:

NICO-

NICOLAVS RITTERSHVSIUS JCTVS, CONRADI FILIVS, PATERNÆ GLORIÆ ET ERVDITIONIS HERES, PER ANNOS XXXVI ET AMPLIVS IN ACAD. HAC PATRIA ALTDORFINA PROF. PVBL. REGIBVS, PRINCIPIBVS, COMITIBVS, DYNASTIS, NOBILIBVS, EX LONGINQVIS ITINERIBVS ET COGNITIONIS PRÆSERTIM HISTORICÆ AC GENEALOGICÆ FAMA NOTVS, EXUVIAS SVB HOC MONVMENTO DEPONI VOLVIT, CVM ESSET NATVS D. XVII. M. FEBR. ANN. cIɔ Iɔ XCVII, PIEQVE IN SERVATORIS SVI BRACHIIS OBDORMIISSET D. XXIV. M. AVGVST. A. M DC LXX.

TANTVM EST IN HAC VITA, SED INFINITE AMPLIVS IN ALTERA.

Pag. 58. lin. 14: *Vti Stellæ in omnes æternitates*] In his annumerandus est quoq; Dn. GEORGIVS CHRISTOPH. SCHÆFER, in nobili Imperiali Rotenburga ad Tubarim A. C. 1629 d. 7 Febr. natus; A. 1665 Jurium hac in Vniversitate Prof. Publ. Extraordinarius constitutus, annoq; statim sequente immaturo fato exstinctus.

Pag. ead. 58. lin. 17: *Vel alibi*] Honorifica omninò hìc mentio facienda est JOH. WOLFG. TEXTORIS, JCti h. t. Celeberrimi; qui Altdorfii per annos septem Jura magno cum auditorum applausu professus est; anno autem 1673 Heidelbergam sese contulit, ubi hodieq; rei literariæ præceptis, Aulæ verò Electorali consiliis suis saluberrimis, mirabiles præbet utilitates.

Pag. 65. lin. 32, 33: *Diem suum obiit Medicus & Philosophus insignis* &c] Ita *Mich. Piccartus* in Promulside Carm.

Cl. & Excellentissimus Philosophus ac Medicus, Nicolaus Taurellus, Professor Altdorphinus moritur 28 Sept. 1606.

SepteMbrIs septena qVater tetro æthere nata.
VVLnere prosternIt nostra LyCea noVo:
qVIppe eâ ArIstoteLes noster nosterqVe GaLenVs
TaVreLLVs ponIt CorpVs Inane soLo.

Pag.

Pag. 66. lin. 9: PHILIPPVS SCHERBIVS] De hoc vid. etiam pag. 103. 108. Hic verò iterum audiatur *Mich. Piccarti* Eteostichon d. l.

Philippus Scherbius, Medicus & Philosophus Excellentissimus moritur XI JulI 1605.

Vt seX aC qVInas orbI fert IVLIVs ortVs,
Ingentl affICItVr norICa CLaDe sChoLa.
præses obIt SophIæ præLVstrIs SCherbIVs, VnVs
VIXIt VbI prInCeps pæonIIqVe ChorI.

Pag. 69. lin. 25: *Præfectus est*] Professioni Medicæ ac Physicæ simul. Hinc & pag. 108 inter Professores Physices numeratur.

Pag. 74. lin. 21, 22: *Mortalitatis terminos adimplevit &c*] Tumulo Viri CL. hæc inscripta leguntur in cœmeterio:

CASP. HOFMANN, MEDICINÆ DOCTOR ET PROFESSOR ORDINARIVS IN ACADEMIA ALTORFINA: MARIA MAGDALENA BVSEREVTIN, SIBI SVISQVE LIBERIS VIVI H. M. F. F. ANNO CHRISTI M DC XVI.

Pag. 80 lin. 12, 13: *Mortuum laudavit Nicolaus Rittershusius*] Addatur *Memoria Dn. Georgii Næßleri* à *Georgio Richtero*, Procancellario, in Orat. d. 28 Jan. 1651, publicè Altdorfi habita, *celebrata*.

Pag. ead. 80 lin. 13, 14: *Epitaphium ejus tale heic loci invenimus*] Ego verò tale inveni haud procul à *B. Casp. Hofmanni* tumba:

GEORGIVS NOESSLERVS BEROLIN. MARCH.
CVM CHARITATIBVS SVIS H. S. E.
NATVS D. X. MAI cIↃ IↃ XCI. DENATVS ALTDORFI
D. IX. JVL. cIↃ IↃc L.
VITÆ SANCTIMONIAM, ERVDITIONIS COPIAM,
INSIGNIA MERITA,
QVIBVS ARTEM MED. ET PHILOSOPH. PER
ANNOS XXXII
SVMME SIBI DEVINXIT VIR OPTIMVS,
IN FAMÆ TEMPLO, QVAM HOC CIPPO, LEGI
MALVIT.

Pag.

Pag. 81. lin. 1, 2 : *Catalogum Plantarum*] Titulus ſcripti in f. 4. editi iſte eſt: *Ludovici Jungermanni D. Catalogus Plantarum, quæ circa Altdorfium Noricum, & vicinis quibusdam locis*: recenſitus à *Caſp. Hofmanno* D. Altorfi, 1615. Edidit deinde ipſe Jungermannus A. 1635 *Catalogum Plantarum, quæ in horto Medico Altdorphino reperiuntur.* Cæterùm *Jungermannus* Poëta fuit non infelix, in fingendis præſertim & applicandis Epigrammatibus & Anagrammatibus; prout id teſtantur Χαριστήρια *Anagrammatum* A. 1636 ab eo edita.

Pag. ead. 81. lin. 22: *Hortus noſter Medicus*] Poſtquam B. *Jungermannus* A. 1625 profeſſionem Medicam Botanicam aggreſſus, plura ſemina rariora ac bulbos ſecum attulerat, & acceperat indies, Hortus noſter Medicus, generoſâ Magnificorum *Dnn. Scholarcharum* munificentiâ ac favore, felicia cepit primordia A. 1626. Ejus igitur primas origines & proxima originibus, debemus curæ *Jungermannianæ*; incrementa verò & expletam Horti formam, arti ac felicitati *Hoffmannianæ*, quam ſupr. jam pag. 10. itemq; pag. 83. meritò laudavimus. Et laudari ſummopere nunc inſuper merentur *Floræ Altdorfinæ Deliciæ Hortenſes* ac *Sylveſtres*, ab eodem *Dn. D. Mauricio Hoffmanno*, Medico & Botanico Conſummatiſſimo, primùm A. C. 1660 & 1662, dein verò longè auctiores, additoq; Florilegio, A. 1677, heic Altdorfi editæ. Deliciis Floræ Altdorfinæ Hortenſibus præfixa eſt *Icon Horti* noſtri *Medici*; Deliciis Sylveſtribus præmiſſa cernitur *Topographia Altdorfina & Viciniæ*, accurato expreſſa ſchemate; cujus ſupr. pag. 133, aut in Additam. tertio pag. 143, debebamus jam meminiſſe. Sequantur nunc *Inſcriptiones*, quæ in Horto Medico leguntur:

Supra portam Horti ſuperiorem:

Hìc Natura parens, toto quos parturit orbe
Flores fert OCULIS, queis lege, NON MANIBUS.

Supra portam Hibernaculi apricam
Ordinem Exoticarum Plantarum
hæc verba reſpiciunt:

Hìc Argus eſto, non Briareus!

In Hibernaculi
Sive hibernæ ejusq; commodæ oppidò Plantarum mansionis medio inter fornaces pariete:

B. F.
VITÆ ET VALETVDINIS HVMANÆ PRÆSIDIA
MIRA VARIETATE ET COPIA SESE OSTENTANTIA
CVRAM MINIMAM COLLIGENDI DISCERNENDI
MAXVMAM
ÆQVALEM FACILEMQVE REDDI
HORTO IN HOC MEDICO
PAVLO POST VNIV. COND. ADORNATO
QVICVNQVE CERNIS
GRATVS INCL. REIP. NORIMB. BENEFICIVM
AGNOSCE
NATVRÆ MVNIFICENTIAM SVPERANS
CVJVS PERPETVITATI JVVANDÆ
NOBILISS. ET PRVDENTISSIMI
DNN.
GEORGIVS IM HOFF IIIVIR
LEONHARDVS GRVNDHERR VIIVIR
JOD. CHRISTOPH. KRESS A KRESSENSTEIN
JOHANN. JACOBVS STARCK A RECKENHOFF
SENATORES ET SCHOLARCHÆ BENE MERITISSIMI
MAGNO SALVTIS PVBLICÆ COMMODO
REIQVE MEDICÆ INCREMENTO
HIBERNACVLVM HOC PLANTARVM
A FVNDAM. EXTR. CVRAR.
PRÆFECTO OPPIDI
CHRISTOPH. ANDREA IM HOFF
BOTANICO
MAVRITIO HOFFMANNO DOCT.
A. C.
cIↄ Iↄc LVI.

Ad

Ad diætam in centro Horti:

CIVIS. AMICE. ADVENA.
QVI. HORTI. AMOENITATE.
CVPIS. OBLECTARIER.
MODESTIAM. ET. CONTINENTIAM.
COMITES. HABEAS.
FLORÆ. CVSTODES.

Pag. 82. lin. 26. 27: *Theatrum Anatomicum apertum*] Laudadatum est jam pag. 8, commodum hoc Anatomes theatrum, variis ac rarioribus sceletorum figuris refertum, & spectatorum sedibus veteris amphitheatri simulacrum referens. Supra januam intus ad sempiternam memoriam monumentum sequens erectum cernitur:

QVISQVIS ES QVI TE IPSVM NOSSE AMAS
INTVS QVI ET IN CVTE SIS
HVC ADES ET STVDIIS PRÆDITVS FORTIBVS
DISSECTIONES SPECTA HVMANI CORPORIS
SIMVLQVE GRATO ANIMO
INCLITÆ REIP. NORIMB. BENEFICIVM AGNOSCE
NON HIC MOMI FENESTRA
SED PARVVM THEATRVM EST
NOBILISS. ET AMPLISSIMI DNN. SCHOLARCHÆ
GEORGIVS IM HOFF SEPTEMVIR
ALBERTVS POEMER
JODOC. CHRISTOPH. KRESS A KRESSENSTEIN
LEONHARDVS GRVNDHERR
SENATORES BENE MERENTISSIMI
MAGNO ACAD. INCREMENTO F. F.
RECTORE MAGNIFICO
WILHELMO LVDWELL JCTO
ANATOMICO
MAVRITIO HOFFMANNO DECANO MEDICO,
A. clɔ Iɔc L.

Eodem etiam anno (1650) primordia cepit *Societas Medica*, legibus maximè salutaribus instructa, quibus Artis Machaoniæ

ſtudioſi non ſolùm circa ea, quæ ad ſtudium Medicum felici cum ſucceſſu tractandum faciunt, inſtruuntur; verùm etiam quomodo in Exercitiis Anatomicis & Herbationibus, quas vocant, publicis, in Pharmacopolii viſitatione, & Diſputationibus, quæ Circulares nuncupantur, modeſtè, decorè & convenienter ſeſe gerere debeant, informantur.

Pag. 85, lin. 23: *Chymiam dico, in ea publicè doceri cœpit*] Eſt hoc rurſus inſigne admodum Noricæ Magnificentiæ ſpecimen, quòd anno ſuperiore, in Rei Medicæ emolumentum incredibile, Patriæ Patres & Curatores Academiæ exſtrui curârint *Chemicum*, quod vocant, *Laboratorium*, pone Collegii acroateria, ad foſſam oppidanam, plagam Auſtralem proſpectans. Eſt camera hæc ampla ſatis ac nitida, quadrario elata lapide, intus ſex & triginta pedes longa, lata quindecim, alta quatuordecim. Habet præterea à parte ſuperiore & inferiore caminos duos majores, & eſt jam aliquot inſtructa furnis; quorum

1 eſt Furnus Ἀκηδὴς Piger Henricus; cui à latere utroq; aſſociati cernuntur
2 Furnus continens catinum arenæ.
3 - - - - - - Balneum Mariæ & Balneum vaporis.
4 Furnus Ἀνέμιος ventoſus.
5 Furnus Glauberi Philoſophicus ſecundus.
6 - - - Reverberatorius.
7 - - - Deſtillatorius △ aperto.
8 - - - Digeſtionis.
9 - - - Recipiens veſicam, vaſa ♎toria, retortas tubulatas &c prout uſus poſtulaverit.
10 - - - Portatilis ferreus.
11 - - - Docimaſticus.
12 - - - Lampadis Philoſophicus.

Hæ ſunt fornaces præcipuæ, quibus temporis ſucceſſu plures adjungentur.

Cameræ medio, januam verſus, ad immortalem poſteritatis memoriam ſequens infixum eſt monumentum:

B. F.

B. F.

CHEMIÆ
ARTIVM. ANTIQVISSIMÆ
ADMIRANDORVM. NATVRÆ. OPERVM. ÆMVLÆ
SOLVENDO. ET. COAGVLANDO
VNIVS. REI. INTERITVM
ET. ALTERIVS. PRINCIPIVM. SIMVL. AFFECTANTIS
EXERCITIO
DOMICILIVM. HOC. PVBLICVM
EX. SINGVLARI. ET. POSTERIS. DEPRÆDICANDA
INCLVTÆ. REIP. NORIMB.
MVNIFICENTIA
PRO. FVTVRO. ACADEMIÆ. ORNAMENTO
MEDICINÆ. INCREMENTO
SALVTIS. CIVIVM. EMOLVMENTO
A. R. S. cIↄ Iↄc LXXXII
FVNDITVS. EXSTRVI. CVRARVNT
MAX. STRENVI. GENEROSI. ET. PRVDENTISSIMI
DOMINI

GABRIEL. NÜTZEL. AB. ET. IN. SINDERSPÜHL
IIIVIR
WILHELMVS. IM. HOF
JOH. PAVLVS. PAVMGARTNER. AB. HOLENSTEIN. ET. LOHNERSTADT. IN. GRÜNSPERG
CAROLVS. WELSER. A. NEVNHOF
SENATORES. ET. SCHOLARCHÆ. SVMME. MERITI

RECTORE. VNIVERSITATIS
JACOBO. PANCRATIO. BRVNONE
PHIL. ET. MED. D. HVJVSQ. P. P.

FACVLT. MED. DECANO
MAVRICIO. HOFFMANNO
MED. D. ET PROF. PRIMARIO

PRIMO. CHEMIÆ. PROFESS.
JOH. MAVRICIO. HOFFMANNO
MAVR. F. PHIL. ET. MED. D.

TV. VERO
QVICVNQVE. LOCVM. HVNC. ACCESSERIS
LABORIOSAS. EVM. DELICIAS. ALERE. NON
DESIDIAS
ET. VVLCANI. PALLADISQVE. IN. JVCVNDA
SOLICITVDINE
NEGOCIOSVM. OCIVM. FOVERE. SCITO
NEVE. TVRBES
CAVETO.

Pag. 94. lin. 16: *In Pontificiorum castra tandem transierit*] A.C. 1629, desertis hic uxore ac liberis. Quæ quidem hominis à fide nostra defectio, & ad Pontificiam accessio, mira tunc nemini aut inopinata accidit; cùm crebræ ipsius ad PP. Jesuitas itiones, emansiones diutinæ, virulentæ Doctorum nostrorum, maximè D. M. Lutheri, reprehensiones, & acerrima Romanensium defensio, nihil portendere aliud viderentur. Ægriùs ipsi nunquam fuit, quàm cùm cantionem in templo audiret: *Serva, Deus, verbum tuum!* Vocem cum psallentium choro nunquam copulavit; sed vel Senecam suum, vel Lipsium, vel auctorem evolvit alium, quem prurientes ipsius auriculæ mallent audire. Vid. B. Dn. *Dilherri* Disput. III. Tom. I. pag. 37. & seqq. Accessit *Philippus* huc Altdorfium d. 3. Maji A. 1626.

Pag. 96. lin. 12: *Cujus Epitaphium*] Glaciani Epitaphium hoc modo scriptum deprehendi:

SVB HOC TVMVLO PIE DEFVNCTVS VITAM BEATIOREM EXPECTAT OLIM INSIGNI ERVDITIONE ET RERVM VSV CLARVS D. M. GEORGIVS GLACIANVS VILSECCENSIS, ET ACADEMIÆ HVJVS ALTDORFINÆ ET GRÆCÆ LINGVÆ QVONDAM PROFESSOR PVBLICVS. OBIIT IN VERA FILII DEI INVOCATIONE I AVGVSTI HORA XII MERIDIANA ANNO CHRISTI MDCVII ÆTATIS VERO LVIII CVJVS MEMORIA JAM EST IN BENEDICTIONE.

HOC MONVMENTVM IN HONORIS ET AMORIS TESTIMONIVM ET ORBITATIS SOLATIVM RELICTA VIDVA CATHARINA HÆLTMENNIN PONI ET INPRIMI CVRAVIT ANNO - MENSE - DIE -

Pag. 97. lin. 3. 4: *Ex Clarissimorum Virorum testimonio*] Casp. Hofmanno Lib. I. cap. 21. Var. Lect. vocatur Risius *Vir doctissimus multarumq; linguarum peritissimus*.

Pag. 102. lin. 26. 27: *Anno ætatis quinto & trigesimo &c*] Epitaphium ipsi tale positum:

D. O. M. S.

HEIC JACET CHRISTOPHORVS ADAMVS RVPERTVS, HISTORIARVM PROFESSOR PVBLICVS, MVLTIS MORBIS EXAGITATVS: SED ANIMA IN OMNIVM, SANCTISSIMARVM ANIMARVM RECEPTACVLVM, COELVM, RECEPTA EST. OBIIT ANNO MDCXLVII, DIE XXVII FEBRVARII, NATVS ANNOS XXXV, MENSEM ET DIES XXVIII.

Laudator ejus post funera extitit *Mart. Brendelius*.

Pag. 103 lin. 15, 16: *Quem vel ex tempore mira facilitate struxisse poëmata - notissimum.*] Etiam ad decrepitam usq; senectutem; in qua tale sibi finxit Epitaphium:

Me POMERIS genuit, docuit Charitina TVBINGA,
& capiti imposuit serta Magistra meo.
Austriacis pulsum terris ob dogma LVTHERI
suscepit placido Pallas amica sinu
Atq; Professoris titulo decoravit honesto
clara PALÆCOMES qua juga NORIS alit.
Explicui interpres clarorum carmina Vatum,
& linguæ Ausoniæ scripta diserta patris.
Porrexere meis æquas sermonibus aures
queis placuit Latii pura medulla salis.
Bis septem *fractis post* lustra *ago viribus ævum;*
Bis sexto *placide des mihi Christe mori!*

Fecit carmen hoc anno ante obitum tertio, ut & ipse annotavit, & è versiculo ultimo id colligere licet, ubi ad *annum bisextilem*, qualis tunc erat, videtur allusisse.

Pag.

Pag 105. lin. 26: MATTHIAS BERGIUS] Annos ætatis & mortis Viri Beati, ex ſequente Illius Epitaphio noſcere poteris, Lector!

D. O. M. S.

BERGIVS HIC SITVS EST, VOCEMQVE IN PVLVERE CHRISTI
EXPECTAT, VIVVM QVI SIBI RESTITVET.
SVMMA BONI, VIVO CHRISTO SE CREDERE, VVLTVMQ.
ILLIVS ÆTERNVM CERNERE FVNCTVS AVET.

M. MATTHIAS BERGIVS BRVNSVV. IN ALTDORF. NORIB. ACAD. ETHIC. PROFESSOR HOC EPITAPH. SIBI IPSE FECIT.
ESTHER, JOAN: HILTEBRANDI IC. F. VIDVA MOEST.
CONRAD. RITTERSHVSIVS JC. ET COHEREDES MARITO, AVVNCVLO ET PATRVO B. M. HOC MON. POS.
OBIIT DIE XXII AVGVSTI AN. CHRISTI MDXCII, CVM VIXISSET ANNOS LVI, MARITVS SINE QVERELA ANN. XXV. MENS. VII.

Pag. 107, lin. 16: *Gaudio commutavit*] Defuncto piè *Virdungo* parentavit *Rupertus*.

Pag. 108, lin. 10, 11: *Cœleſtemq; repetiit patriam*] Epitaphium Piccartinum, in ſepulchreto noſtro, ita habet:

MICHAELIS PICCARTI FRANCI, PROFESSORIS NORICI: ANNÆ MATRIS, BARBARÆ VXORIS, ET LIBERORVM AC POSTERORVM SEPVLCHRVM FAMILIARE.
CORPORIS EXSVVIAS GENS HEIC PICCARTA REPONIT,
REMIGIO VT COELVM LIBERIORE PETAT.
ANNO cIↃ IↃc XIV.

Vin-

Vindicavit memoriam Viri ab oblivione *Fridericus Rochsius*, Prutenus, Oratione parentali, quæ inscribitur *Piccartomnema*.

Pag. 108. infr. ad marginem: *Physices Professores*] Hos inter silendus non est M. WOLFGANGUS WALDUNGUS, natus Norimbergæ 1554. Suscepit heic loci Physicarum Quæstionum professionem A. 1592: obiit A. 1621. Exstant Disputationum Ipsius Physicarum aliquot Decades, & Orationes de Hominis perfectione, de Anima hominis. Reliquit etiam Encomium Veris, Lagographiam, Charicleam, ac fortasse plura.

Pag. 110 lin. 2: *asservantur*] Typis verò impressum est Scriptum ejus de Cometis, Latinè & Germanicè editum A. 1578.


Pag. ead. 110. lin. 13: PETRUM SAXONIUM] Erat hic ex perantiqua Holsata Ditmarsorum gente oriundus; A. 1591 d. 16 Aug. natus. Professioni Matheseos admotus est A. 1617; eamq; spartam, quam nactus est, per annos octo ornavit egregiè; exstinctus d. 16. Sept. A. 1625. Decreverat secum edere Græcos aliquot Tractatus Mathematicos, unà cum Commentationibus suis, si diuturniorem lucis usuram concessisset Deus. Fuit σύγχρονος ac Collega M. JOH. CASP. ODONTII; quorum hic docuit Mathemata Inferiora, Saxonius Superiora. Tumulus hujus his signatus est verbis:

Anno 1625 den 16 Septemb. verschied der Ehrenvest und Hochgelehrt Herr Peter Sax von Holstein / bey hiesiger Universitet Super. Mathemat. Profess. Ordinarius.

Atque hìc, SUPREMO NUMINI vota solvens, gratiq; animi tabulam suspendens, ADDITAMENTIS meis addo


FINEM.








INDEX
PERSONARVM RERVMQVE PRÆCIPVARVM.





Riſius






Menda ſeriùs obſervata:

Pag. 4. lin. 6. lege: *parentis* imò Alexandri Severi. p. 6. l. 16: patula. p. 8. l. 13: elegantiſſimam. p. 21. l. 22: *illa novis.* p. 25. l. 9: *duodecimo die Maji.* p. 46. l. 21: quòd. p. ead. l. ult. EIDELBERGÆ. p. 47. l. 8: REP. p. 49. ad marg. *Cl. Königii.* p. 90. l. 12: ἐγκυκλοπαιδείαν. p. 95. l. 33: alloquiis. p. 99. l. 5: 1585. p. 111. l. 8: Matheſeos. Numerus pagg. 111 & 112 perperam bis poſitus. p. 127. l. 29: ſtadium. p. 140: *Bono.* p. 143. l. 31: *Poſt* Egreſſus urbe *dele comma.* p. 152. l. 3: *Naphthali.* p. 160. l. 12 & 13: Heptas. p. 165. l. 17: Rotenburgo. p. 173. l. 29: Bis ſexto.

Hæc & plura fortè quæ irrepſerunt menda, plurimùm typographica, Benevolus Lector corrigat, ac benignè (quod à me ſæpe præſtitum aliis) interpretetur.


1.6.226